This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.



STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES

CODEX

DIPLOMATICUS ET EPISTOLARIS

MORAVIAE.

OPUS POSTHUMUM

ANTONII BOCZEK,

SOCIETATIS SCIENTIARUM BOEMICAE ET ALIARUM MEMBRI, PROFESSORIS EMERITI, HISTORIOGRAPHI AC ARCHIVARII STATUUM MARCHIONATUS MORAVIAE, IDIBUS JANUARII 1847. DEFUNCTI

EDIDIT

JOSEFUS CHYTIL.

SUB

AUSPICIIS NEC NON IMPENSIS MARCHIONATUS MORAVIAE.

TOMUS QUINTUS

AB ANNIS 1294 — 1306.

BRUNAE 1850.

EX TYPOGRAPHIA CAROLI WINIKERIL

TK

DB543
C66
v.5

PRAEFATIO.

Codex diplomaticus et epistolaris Moraviae sub nomine et auspiciis Excellentissimi atque Illustrissimi Domini Antonii Friderici e Comitibus Mittrowsky de Mittrowic et Nemyšl, antea c. r. supremi Cancellarii p. t. ab Antonio Boczek, Illustrissimorum DD. Statuum Moraviae archivario et historico, utroque nunc jam cum magna patriae historiae jactura eheu! demortuis, quatuor adhuc tomis editus, hocce tomo in lucem emisso ad anni 1306. quo stirps Přemyslea exstincta est, finem perducitur.

In praefatione ad tomum I. toti quidem huic operi quatuor tantum volumina erant praefinita; verum multitudo monumentorum medio tempore detectorum adcrevit adeo, ut auctori jam tomum tertium edituro spes prope omnis evanesceret, fore, ut tomo quarto universum opus ad culmen perducere possit; qua de causa etiam factum est, ut partes tabularum publicarum abruptas et locos ad Moraviae historiam spectantes ex aliis operibus historicis laudatos in tomo III et IV. penitus omitteret.

Attamen ipsa illa hac in re forsitan nimia parsimonia haudquaquam suffecerat; tomus IV. enim anno 1293. claudendus atque omnia reliqua tomo V. servari necessum erat, in quo praeter monumenta literarum ab

anno 1294—1306, in adpendice peculiari et omnes tabulas publicas prioris periodi medio tempore vel integras vel in partibus abruptis repertas, et indicia ex aliis operibus historicis ad Moraviae historiam provocantia promere placuerat. Fuit insuper ea quoque auctoris ratio, ut huicce ultimo codicis sui diplomatici tomo ad commodiorem totius operis usum indicem omnium in illo tam hominum quam locorum occurrentium nominum adnecteret, commentariumque ad omnes quinque tomos peculiari volumine componeret; sed consilium ipsius mors praematura, qua Idibus Januarii anni 1847. praeter opinionem absumptus est, irritum reddidit eo ipso tempore, quum ad hunc cultoribus historiae patriae acceptum sane laborem jam sese accincturus esset.

Ne igitur hoc tanti momenti opus suis numeris non absolutum relinqueretur, neve majori utilitate ex indice promisso accessura privaretur, ego auctori in provincia sua difficiliori gerenda posterioribus annis adjutor additus et post ejus mortem filiae relictae tutor constitutus in animum statim induxi, codicis sui diplomatici, cujus jam quatuor tomi typis sunt editi, residuum tomum in lucem emittere.

Tomus hic manuscriptus jam quidem anno 1838. a librorum judice approbatus novis tamen literarum monumentis interim inventis redintegrandus supplementaque ad priores tomos pertinentia partim e relicto ast nondum in ordinem redacto adparatu historico, partim e rebus sub auspiciis Statuum Moraviae ad historiam illius, e quocumque ad id tempus hauriri potuerant fonte collectis, uberius deprompta suo quaeque loco erant digerenda.

Huncce laborem sicuti et confectionem indicis ad totum opus tam diu desiderati eo alacriori adgressus sum animo, quum, quae auctor in praefatione ad tomum primum vivus promiserat, post obitum ejus ex parte saltem praestari potuerint.

Supersedi huic operoso labori incertus adhuc, num et quis sumptus non mediocres ad edendum hunc tomum sit suppeditaturus, cum neque heredibus neque mihi tantae pecuniae suppeterent, quae talibus impensis ferendis suffecissent.

Quapropter prae ceteris enisus sum, ut Domini Antonii Friderici e Comitibus Mittrowsky de Mittrowic et Nemyšl, c. r. summi provocationum tribunalis in Bohemia Praesidis, qui mortuo patre, supremo regni Cancellario, meritis de patriae historiae perenni gloriae consecrato, jam ad quartum tomum typis edendum magna liberalitate sumptus obtulerat, precibus parem et ad hunc residuum tomum in vulgus emittendum munificentiam impetrarem.

Spes bona quidem mihi est subministrata; verum mutatae anno 1848, terris Austriacis quam maxime memorabili, rerum conditiones non solum editionem hujus tomi per priorem Maecenatem irritam reddidere, sed etiam metuendum erat, ne spem illum in lucem emittendi aequo diutius prorogarent.

Moraviae tamen legati, quum die 20 Januarii anno 1849 de patriae rebus consulentes congregati essent, legato Christiano d'Elvert rogationem ferente, conventus Statuum Moraviae die 7. Junii anno 1847. habiti decretum de codice diplomatico continuando et de emendis scriptis

librisque ad patriae historiam multum facientibus ab Antonio Boczek, archivi ipsorum custode, relictis — uno ore comprobarunt, eoque peroptatam mihi fecerunt potestatem, hunc tomum ad annum 1306, quo stirps Přemyslea defecit, tempora complectentem typis tradendi.

Utrum et in quantum indice huic volumini et quidem sine ullo pretio adnexo votis ac desideriis historiae patriae studiosorum satisfecerim, literatiorum, quibus ad commodiorem hujus ampli operis usum tanti momenti et tam frequenter expetitum offertur subsidium, benigno ac molli committo judicio.

Brunae mense Februario 1850.

Josefus Chytil.

EMENDANDA.

Pag.	8	Lin.	16	pro	nobis lege uobis.	Pag.	165	Lin.	3 pro Wratenjn lege Modřic.
»	30	»	16	»	Moraviae lege Moravia.	»	202	»	25 » prehendarum l. prebendarum.
»	32	»	23	»	N. lege IV.	»	—	»	29 » dredicti lege predicti.
»	42	»	20	»	Abba Ecclesia l. Alba Ecclesia.	»	208	»	13 » retractis lege retroactis.
»	68	»	24	»	coavertendas l. convertendas.	»	212	»	29 » huic lege hinc.
»	83	»	18	»	Lucensie lege Lucensis.	»	213	»	4 » panum lege parum.
»	99	»	7	»	Sonor lege Soror.	»	221	»	28 » pertinent lege pertineat.
»	101	»	7	»	libertatis lege libertates.	»	222	»	18 » Stelne lege Strelne.
»	103	»	19	»	oberuari lege obseruari.	»	240	»	20 » spellamus lege apellamus.
»	126	»	11	»	presedente lege precedente.	»	247	»	18 » potanky lege potomky.
»	131	»	16	»	remus lege nemus.	»	261	»	13 » 1207 lege 1277.
»	136	»	28	»	digestis lege de gestis.	»	290	»	17 » prieribus lege prioribus.
»	148	»	21	»	Ebclesie lege Ecclesie.				

I.

Theodericus, Olomucensis episcopus, ecclesiae in Hulin resarcit damna, quae ex factura secundi fossati circum munitionem ibidem est passa. Datum in Hulin Kalendis Februarii 1294.

Theodericus dei gracia Olomucensis ecclesie episcopus. Dilecto capellano et notario suo Theoderico plebano in Hulin et successoribus eius inperpetuum. Quia pro necessitate et cautela municionis nostre in Hulin, et propter facturam secundi fossati, molendinum et taberna, que erant de dote ecclesie tue, vicina fossato et adiacencia sunt destructe, et a locis propriis deposite. Ne tua parrochialis ecclesia dampnum et dispendium hoc modo in suis prouentibus pateretur. Pro destructione taberne predicte censum dimidie marce argenti a laneo, quem nunc Vlricus ciuis noster in Hulin possidet, et quicumque post eum successor eius tenebit eundem, tibi ac successoribus tuis, ac ecclesie tue in Hulin dedimus jure perpetuo in compensam. Pro depositione quoque molendini alium locum tibi et ecclesie tue concedimus in inferiori parte castri in decursu aque, vbi nunc molendinum nouum per te denuo est destructum, similiter tibi et ecclesie tue perpetuo contulimus in restaurum.. Ad hec, quia pratum ecclesie tue, quod est post pomerium ecclesie proximo situatum. in recognitionem cuiusdam proprietatis nobis duodecim denarios debebat annuos et soluebat. Illos eosdem XII. denarios tibi et ecclesie tue omnino remisimus, et absolutionem ipsorum ecclesiasticam facimus absolutam. Predictas igitur concessiones et recompensas, donationes seu remissiones tue ecclesie perpetuo profuturas, ratas habemus, et eas ex certa scientia nostra confirmamus, et presentis scripti et sigilli nostri patrocinio communimus. Datum in Hulin anno domini. M. CC. nonagesimo quarto. Kalendis Februarii —

(Sig. laesum.) Ex orig. in arch. cap. Olom.

II.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, domui fratrum Teutonicorum in Novosedlic (Slawkow) varia jura concedit. Dt. Brunae in vigilia ascensionis domini 1294.

Wencezlaus dei gratia rex Bohemie, et Marchio Moravie. Ob datoris gratiarum reverentiam, a quo gratis accepimus, que habemus, gratiose liberalitatis officium libenter in suis famulis exercemus, ut dum per opera, que sibi sunt placita, benefactorem nostrum recognoscimus, receptis ab eo reddamus gratiis digniores. Per presens igitur privilegium ad notitiam presentium, et memoriam deferimus futurorum, quod nos principaliter cupientes complacere regi regum, per quem regnantium eriguntur solia, et teguntur, ac per consequens intendentes ex quadam singulari prerogativa gratie, qua honorabilem virum fratrem Didoldum dilectum nobis commendatorem provincialem per Boëmiam et Moraviam, ordinis cruciferorum domus Teutonice propter probitatis sue merita et plurima servitia, nobis per eum exhibita prosequimur ordinem suum et domus sibi subjectas congruis beneficiorum, et libertatum gratiis decorare, ac volentes nichilominus, ut idem frater Didoldus proinde eo amplius nostris, et regni insistat servitiis temporibus in futuris ipsi fratri Didoldo, ac ordini suo et domui in Novosedlicz in persona sua has gratias, que subsequuntur inferius, duximus faciendas, videlicet, quod universos et singulos cruciferorum homines manentes in Novosedlicz, et villis ipsi foro Novosedlicz adjacentibus a iurisdictione omnium beneficiariorum terre Moravie eximimus, et absolvimus ex certa nostra scientia et gratia speciali, dantes eis potestatem plenariam habendi, et erigendi apud ipsum forum Novosedlicz patibulum, ac quoslibet excessus, qui in hereditate eorum commissi fuerint, secundum consuetudines approbatas, et iura civilia animadversione debita puniendi. Et ut dicti cruciferi in Novosedlicz tanto uberiorem gratiam a nobis se fore sentiant, assequuntur, statuimus et volumus, ut nullus camerariorum, purccraviorum, officialium, et villicorum nostrorum a singulis hominibus, qui in foro Novosedlicz merces sive res quascumque venales habuerint, ratione officii, quod Lowche dicitur vulgariter, seu quorumlibet aliorum officiorum aliquem questum sive denarios exigat vel requirat, quia et emptores et venditores rerum

quarumcunque in predicto foro Novosedlicz a solutionibus quibuslibet juris Lowche, sive fori plena gaudere volumus libertate. Addicimus preterea et decernimus, ut si predicti cruciferi in Novosedlicz aliquam domum in civitate Brunensi sua emerint pecunia, vel si eis aliqua domus ibidem donata fuerit, quod eadem domus empta per eos, vel donata ipsis a solutione quarumlibet collectarum perpetuo sit libera et exempta. Universis igitur camerariis, burgraviis, beneficiariis, officialibus, forestariis, villicis, judicibus et civibus nostris tenore presentium damus districtius in mandatis, quatenus predictos cruciferos de Novosedlicz, et homines eorum contra exemptiones, donationes, et libertates nostras in presenti privilegio expressas non presumant, sicut gravem indignationis nostre offensam evitare diligunt quomodolibet perturbare. Sed si contra predictos cruciferos de Novosedlicz vel homines ipsorum quisquam aliquid preponere habuerit actionis, is coram nobis et nullo alio, vel coram eo, cui ipsas causas specialiter duxerimus delegandas, de ipsis sibi judicium et justitiam postulet exhiberi, quia ipsos a singulis beneficiariis et officialibus terre nostre testimonio presentium esse liberos volumus, et exemptos. In quarum exemptionum, donationum et libertatum nostrarum testimonium et robur perpetuo duraturum praesentes fieri et sigillorum nostrorum jussimus munimine roborari. Datum Brune, per manus magistri Joannis prepositi Saccensis prothonotarii nostri Moravie. Anno Domini Millesimo CC. LXXXX. IIII. in vigilia ascensionis domini.

Ex originali in archivo Freudenthalensi.

III.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, confert Gerhardo de Medelec feudum in Biterne. Dt. in Hotzenplotz in die b. Agnetis 1294.

Nos Theodoricus, dei gracia episcopus Olomucensis. Notum facimus vniversis, presentes litteras inspecturis, quod, cum Hermannus, quondam aduocatus de Wischow, feodum ab ecclesia nostra sibi collatum canonice in villa nostra Sals, scilicet VI laneos possideret, tandem eo petente alios VI laneos in districtu Hoczenplocensi in villa Biterne pro illis VI

laneis in Sals sibi in concambium dedimus eo iure, sicut et priores habuerat, possidendos. Postmodum vero prefatus Hermannus, cum essemus in Hoczenplocz, in nostra presentia constitutus petiuit, ut, quia eosdem VI laneos in Biterne Girhardo de Medelec de fauore nostro vendiderat, venditionis sue benignum faueremus assensum, et eundem Gerhardum de eodem feodo VI laneorum in Biterne inuestire fauorabiliter dignaremur. Nos eius precibus annuentes, sepedictum Gerhardum de feodo inuestimus graciose, imponentes ei obsequium faciendum pro ipso, ut in vno equo cum balista et lancea nobis debeat strenue deseruire. In cuius rei testimonium presens scriptum sibi dari fecimus, nostro sigillo munitum. Datum in Hoczemplocz, anno domini M. CC. L. XXXX. IV. in die beate Agnetis.

Cod. chart. I. p. 79. in archivo archiepiscopali Olomuc.

IV.

Hron de Hroska duos laneos in Surowice Henrico, hospiti suo Brunensi obligat. Dt. Brunae IX Kalend. Maji. 1294.

Vniuersa negocia, que stare cupiunt, et statu solido litterarum testimonio fiunt firmiora. Nos igitur Hron, miles dictus de Hroska, vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris notum esse uolumus protestando, quod Henrico, hospiti nostro Brunnensi, in summa X. marcarum argenti puri sumus obligati, pro qua summa duos laneos in nostra uilla Zurowiz dicta sitos eidem hospiti exposuimus in hunc modum, vt in XIIII. diebus post festum s. Michaelis proxime nunc instans summam dictam pecunie prefato conciui modis omnibus teneamur persoluisse. Sin autem, quod absit, vllo casu uel ulla negligencia interueniente, predictam summam non persoluerimus, sepedictus hospes memoratos laneos iure hereditario possidebit, hoc tamen adiecto, vt singulis annis vnum fertonem argenti nobis pro censu dabit de duobus laneis supradictis, et post mortem nostram eundem censum filio nostro Mathye dicto ordinauimus iuro patrimonii possidendum. In cuius rei testimonium presentes nostro sigillo et domini Hartmanni de Holstain viri nobilis et Brebiconis Zudarii iudicii prouincialis Brunnensis sigillis qui testes

huius rei sunt duximus roborandum. Acta sunt hec Brunne in domo supradicti hospitis, anno dominice incarnationis M. CC. nonagesimo. IIII. Nono Kalendas Maij in die s. Georij.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

V.

Dymetrius et Gertrudis conjux ac Woyslawa socrus ejusdem de Deblin conferunt ecclesiam et jus patronatus in Deblin ordini cruciferorum theutonico, nihil utilitatis sibi in ea reservantes. — Inter testes: Bruno, camerarius Moravie, Hartmannus de Holensteyn, Jacobus praepositus de Tusnowicz, Magister Henricus plebanus de Witis, frater Andreas de Nowosedlicz, frater Vlricus de Hosteradicz, frater Hermannus de Crumnov et frater Henricus de Meli (?) ac aliis religiosis et tam secularibus clericis quam laicis fide dignis. Datum Brune pridie Kalend. Maji. 1294.

Originale in archivo Freudenthalensi.

VI.

Ambrosius, plebanus de Křidlowice profitetur, se decimas V. laneorum ibidem ad tempora vitae suae accepisse a monasterio Lucensi. Dt. in Luca XIII. Kalendas Junii. 1294.

Ego Magister Ambrosius, plebanus de Grilwich, tenore presencium profiteor et protestor, decimas V. laneorum in Grilwich, ad monasterium Lucense spectancium, ad ipsum monasterium predictum ex antiquo tempore pertinentes, ex speciali gracia domini abbatis et conuentus obtinere ab eis ad tempora uite mee pro uno tantum modio siliginis, eis in siguum recognitionis annis singulis persoluendo; ita, quod de iure parrochialis mea ecclesia in Grilwich sibi non potest eos, neque debet aliquatenus vendicare. In cuius protestationis et recognitionis mee testimonium presentes litteras conscripsi, et tam sigillo dominj nostri quam meo ipsas sigillari prouidi. Datum in Luca. Anno dominj M. CC. XC. quarto. XIII. Kalendas Junij.

Ex originali in archivo monasterii Lucensis. L. 10.

VII.

Thobias, episcopus Pragensis, vidimat bullam Alexandri IV. papae de parochiis, quae monasterium Břewnowense in Moravia habet. Dto. Pragae pridie Kalend. Junii. 1294.

Nos Thobyas, dei gratia Pragensis episcopus, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod nos litteras sanctissimi in Christo patris Alexandri pape, quas non uiciatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte abolitas cum uera bulla pendenti vidimus, et coram nobis legi audiuimus, in hec uerba: Alexander episcopus seruus seruorum dei etc.... IX. Kalend. Novembris 1256. T. III. n. CCXXXVII. In cuius rei testimonium presens scriptum fieri et tam nostro, quam capituli nostri Pragensis sigillis fecimus roborari. Actum et datum Prage. Anno domini M. CC. Nonagesimo IIII. pridie Calendas Junii, Indiccionis septime.

Ex orig. olim. in archivo archiepiscop. Cremsirii nunc Rayhradii asservato.

VIII.

Nicolaus, dux Oppaviae, ecclesiam in Wojanowice quam fundaverat, dotat, et eam ecclesiae in Nova ecclesia, quae est monasterii Oslowanensis, tamquam filialem unit. Dto. Oppaviae XVIII. Kalendas Julii 1294.

In nomine domini amen. Nos Nycolaus dei gracia dux Opauie, Brunoni plebano *de Noua ecclesia* et successoribus eius omnibus in perpetuum. Vt ea, que ad gloriam et honorem omnipotentis dei largimur et facimus beneficia pro nostrorum et progenitorum nostrorum remedio peccatorum ad posterorum deducantur noticiam et gaudere possint robore perpetue firmitatis. Nouerint presentes et posteri vniuersi. quod nos propter deum precipue, nec non ad instanciam dilecti fidelis nostri Gerbotonis de lubchicz pro communi commodo pauperum nostrorum de villa *Woianowicz* ad parrochiam de Noua ecclesia pertinente iure parrochiali ecclesiam ibidem fundari et construi ad honorem beate Marie virginis prouidimus de consensu domine abbatisse et conuentus sororum *de Ozlawan* ac Brunonis plebani Noue ecclesie. ita quod dicta ecclesia tanquam filia ad matricem eccle-

siam in Noua ecclesia perpetuo pertineat. et plebanus Noueecclesie predicte in Woianowicz ecclesie de uicario debeat prouidere. habendo plenam in ipsa Woianowicz ecclesia facultatem instituendi et destituendi quicumque sibi et ecclesie uidebitur competere ac ualere. qui eciam uicarius in signum subieccionis et filiacionis in solucione determinati census prout sibi placuerit iuxta ualorem et possibilitatem ecclesie predicte in Woianowicz prefate matrici ecclesie annis singulis tenebitur respondere. Et ut idem uicarius de prouentibus eiusdem commode ualeat sustentari. vnum mansum ibidem pro dote eidem ecclesie donamus libere ac perpetuo possidendum. Alium preterea mansum in recompensacionem offertorii et aliorum prouentuum plebano Noue ecclesie ibidem addidimus liberum super duos quos antea habuerat mansos dotales uolentes ut omnes dicti mansi ad dotem ipsius ecclesie perpetuo debeant pertinere. Ceterum uillani dicte uille Woianowicz ad solucionem duplicate annone missalis annis singulis utrique ecclesie sunt astricti. cuius eciam solucioni se voluntarie submiserunt. In cuius rei testimonium presentes fieri et sigilli nostri munimine iussimus communiri, presentibus testibus. Marquardo de Nazil. Budizlao de Lodenicz. Jerozlao et Bohussio de Petrouicz. Cholbone aduocato de Opauia. Chislingo et aliis multis. Actum et datum Opauie. Anno domini M. CC. XC. IIII. XVIII. Kalendas Julii.

E transumto Theodorici, episcopi Olomucensis, anni 1294. 15. Calendas Julii, in archivo ejusdem monasterii.

IX.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, confirmat literas Nicolai ducis Opaviae super ecclesiam in Wojanowice. Dto. in Olomuc XV. Kalend. Julii 1294.

Th(eodricus) dei gracia Episcopus Olomucensis. Dilecto in Christo filio Brunoni, plebano in *noua Ecclesia* et successoribus eius futuris eiusdem ecclesie plebanis. salutem in domino sempiternam. Illustris principis domini Nycolai, ducis Opauie, litteras et priuilegium super fundacione ecclesie in *Woianowicz* ex nouo facienda de consensu dominarum abbatisse et conuentus patronarum ecclesie tue sanctimonialium in *Ozlawan* site in

foro, quod dicitur *Noua ecclesia* et tuo. uidimus per omnia in hec uerba In nomine domini amen. Nos Nycolaus... anno domini M. CC. XC. IIII. XVIII. Kalendas Julii. vide T. V. n. VIII. Nos igitur, deuocionem ipsius in eo commendatam habentes, predicte fundacioni ecclesie in Woianowicz pium prebemus assensum et donacionem duorum mansorum, vnius videlicet in predicta villa Woianowicz, et alterius in Noua ecclesia per ipsum ducem Nicolaum liberaliter factam, nec non promissa spontanea et obligacionem colonorum eiusdem uille Woianowicz uoluntariam. super geminacione missalis annone nomine decimarum reddenda predictis ecclesiis annuatim. auctoritate ordinaria confirmamus. Ita quod eadem ecclesia in Woianowicz fundata in terminis parochie tue ad matricem ecclesiam in Noua ecclesia tamquam filia pertineat pleno iure. et tam sepulture quam aliorum beneficiorum et sacramentorum ecclesiasticorum gratia gaudere debeat tamquam mater. Tu eciam et successores tui plebani Noue ecclesie instituendi et destituendi uicarios habeatis liberam facultatem. qui eciam uicarii in signum subiectionis et filiacionis in solucione determinati census prout nobis placuerit iuxta ualorem et possibilitatem ecclesie predicte in Woianowicz. prefate matrici ecclesie tenebuntur annis singulis respondere, non pretermisso eciam ut parochiales eiusdem ecclesie in Woianowicz possitis sicut hactenus ad reddendas decimas prenotatas et alia iura nostra compellere ecclesiasticam per censuram. Datum in Olomuc anno domini M. CC. XC. IIII. XV. Kalend. Julii.

Sigill. illaesum. Ex originali in archivo monasterii Òslowanensis.

X.

Wenceslaus, rex Boemiae et marchio Moraviae, confirmat monasterio Lucensi villam Oblas emtam a filia Hortlini de Kyrowic. Dto. Pragae IV. Kalendas Julii. 1294.

Nos Wenczlaus, dei gracia Rex Boemorum, Dux Cracouie et Sandomirie, Marchioque Morauie. Harum serie notum facimus vniuersis presentibus et futuris, quod, cum honorabiles uiri, Symon, abbas, totusque conuentus monasterii Lucensis, Obluss uillam sibi contiguam cum domibus, areis, agris et aliis attinentiis suis pro melioranda conditione iam dicti

monasterii sui apud .. filiam Hortlini de Kyrowicz, relictam quondam Freudmani, et pueros eius emerit hereditario iure ad ipsum monasterium perpetuo pertinendam, quod prefatus Hortlinus dicte filie sue et puerorum ad normam ipsis uendidit pleno iure: nos ad deuotam instantiam precum eiusdem abbatis et conuentus sui, qui a nobis humiliter petiuerunt, quod dignaremur ipsis cum ratihabitione nostra emptionem huiusmodi confirmare, iam dictam emptionem super prefata uilla Obluss factam, eidem monasterio per ipsum abbatem et dictum conuentum eius de magnificentia nostra ratam et gratam habemus, ac eam de speciali gracia presentis scripti patrocinio liberaliter confirmamus. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri. Datum Prage per manus magistri Joannis, sacensis prepositi, prothonotarii Moravie. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, quarto Calendas Julij. Indictione septima.

E copia vidimata in archivo monasterii Lucensis.

XI.

Ulricus de Novadomo regi Wenceslao bona sua confert in casum, si decederet liberis masculi sexus non relictis. Dto. Pragae VIII. Kalend. Augusti 1294.

In nomine domini amen. Tenore praesentium noverint universi, quibus hoc scriptum exhibitum fuerit, quod ego Ulricus de Novadomo, baro et fidelis excellentissimi domini mei, D. Wenceslai regis Boemiae, ducis Cracoviae et Sandomeriae, marchionis Moraviae, diligenter ut condecet favoris et benignitatis ejus gratiam in me liberaliter confluxisse considerans, non vi nec dolo inductus aut metu coactus, sed bona, libera et gratuita voluntate mea dono et confero dicto domino meo regi ac heredibus suis bona mea subscripta, si continget me decedere liberis masculi sexus legitimis non relictis, videlicet Novam domum praedictam, castrum scilicet et civitatem sive oppidum cum suo circuitu et districtu villarum aliarumque possessionum ad civitatem et castrum praedictum spectantium, nec non villam forensem dictam Dremisl cum possessionibus, juribus et pertinentiis universis, eo salvo, quod si filiae legitimae ex me fuerint procreatae, dominus meus praenotatus rex et sui heredes tenebuntur eas secundum decen-

tiam status et generis earum honorifice maritare. Profecto de villa mea forensi dicta Teschna, item de Pirchet, de Druncz, Raduna Magna Heiligen Rudegerschlog Klenow cum tota silva inter eas, Prunne, Kochans et Horoschitz, quae inquam possessiones et villae sunt nobili D. Mechtildi uxori meae pro dotalitio sive pro datione propter nuptias obligatae pro certa pecuniae quantitate, taliter ordino, volo et statuo, ut si post obitum meum dictus dominus meus rex habere pro (se) voluerit possessiones et villas ipsas, dabit eidem dominae tunc relictae meae mille marcas argenti puri Pragensis ponderis, expensas etiam et securum conductum ei usque in domum patris aut patrui sui, si ad eos redire voluerit tenebitur procurare. Et si maritum duxerit, datis sibi et acceptis a domino meo praefato rege vel heredibus suis praedictis mille marcis memorata bona pro supradicto dotalitio obligata ad dominum regem meum praedictum et heredes suos erunt statim libere devoluta. Si vero in terra Boemiae dicta domina in viduitate manere voluerit, possessiones et villas sibi taliter obligatas tenebit pro tempore vitae suae. qua mortua, possessiones et villae praedictae ad dictum dominum meum regem et heredes suos libere revertentur. Quodsi forte praedictam Mechtildim mihi contigerit praemori et aliam legitimam uxorem duxero, licebit mihi eidem uxori meae quam duxero praedicta bona dotalitii assignare pro dotalitio sub pactis et conditionibus supradictis, expressis in dotalitio memorato. Excipio insuper a donatione ipsa villam Ztodolok cum ejus attinentiis universis, quam D. Mariae matri meae donavi, ut eam post mortem meam etiam teneat et possideat tamquam suam, si absque herede masculi sexus decessero, sibique liceat ipsam villam tam in vita quam in morte dare, vendere, seu legare pro suae libito voluntatis. Reservo praeterea mihi villas seu bona infrascripta: videlicet in Boemia in districtu Wltaviensi villam forensem Scedeltschen cum villis et omnibus attinentiis suis; in Znoymensi districtu Banoue castrum cum villis et omnibus attinentiis suis; in Znoymensi districtu Walts et Wilimowicz cum attinentiis universis; nec non in Vetoviensi districtu Pazcowicz cum omnibus suis attinentiis et villam forensem Zlebinx cum villis et omnibus attinentiis suis et villam Rzeczicz in eodem districtu. In quibus quidem villis, castris et bonis praedictis mihi taliter reservatis plenum jus dominii et proprietatis habeo, quod prius habui in eisdem, ut ea vendere,

donare seu legare mihi licitum sit, prout mihi videbitur expedire. Porro dictus dominus meus rex benigne considerans per me erga majestatem suam in hac parte debitae gratitudinis officium exhiberi, ac volens propterea munificus me compensare praemiis, et ad sua servitia liberalibus beneficiis fortius obligare mihi castrum suum Bronowire (sic) cum villis suis et iudicio provinciali ibidem, oppidum quoque dictum Brod Ungaricale cum pertinentiis et villis eius, nec non unum teloneum in Nova civitate aliud in Lipnik ac duas villas in districtu Lunensi, videlicet Hluk et Topel, cum hominibus, iudiciis, iurisdictionibus, pratis, pascuis, sylvis venationibus, piscationibus, aquis aquarumve decursibus et aliis eorum attinentiis universis contulit de gratia speciali, ut castrum, oppidum, villas et telonea praedicta cum eorum omnibus attinentiis supradictis teneam et possideam utifruendo eis absque omni impedimento per tempora vitae meae, sive habeam filios legitimos, sive non, ad ipsum dominum meum regem et heredes suos integraliter post meum obitum reditura. De quibus omnibus, tam de propriis meis quam collatis mihi bonis superius expressis dicto domino meo regi vel heredibus suis aliqua servitia in expeditionibus vel aliis exhibere seu facere non tenebor, nisi quantum de bona voluntate a me poterunt obtinere. Quod si forte tam bona praedicta mihi collata, quam alia mea praenotata propria mihi reciperet, vel praescriptas aut supscriptas factas et datas mihi gratias aliquomodo violaret ac si coactaret me contra voluntatem meam ad commutationem sibi mecum de ipsis aliquam faciendam donatio ei per me facta nulla erit penitus et cessabit. Ceterum de strata sive via, quae per ipsam Novam domum ducit illud jus dictus dominus meus rex me habere vult, quod pater avus et attavus mei eorum temporibus habuerunt. Ad majoris quoque gratiae cumulum saepe dictus dominus meus rex mihi concessit, ut in civitate praedicta de Nova domo octo iudeos tantum cum eorum familiis habeam, liceatque mihi, si aliqui praedictorum octo judeorum decesserint, alios loco eorum non tamen de terris suis, sed aliunde recipere seu colligere ad inhabitandum civitatem praedictam, qui mihi solvant et faciant servitia et jura, quae alii judei dicto domino meo faciunt in Boemia et persolvunt; et de ipsis judeis omnia, quae ipse dominus meus rex de suis fecerit, ego faciam pro meae libitu voluntatis. Ita tamen, ut nulli de famulis praedictorum judeorum praeter gratiam ipsis

octo indeis (sic) usuram in dicta civitate liceat exercere. Caeterum cum bonae memoriae quondam Ulricus pater meus in parochia cruciferorum de domo Theutunica in Nova domo praedicta sit sepultus, et ego ibidem apud eundem sepeliri velim domino concedente ob remissionem peccatorum meorum omnes ecclesias meas sive in Boemia vel Moravia fuerint in quibus jus patronatus habeo excepta ecclesia in Stodolok quam cruciferis templariorum contuleram anna (sic) si sine legittimis ut est dictum decedam confero, ut in eis habeant dicti cruciferi de domo Theutunica illud, quod habeo jus patronatus et plenam justitiam conferendi. Demum donationem seu legatum bonorum nostrorum praedictorum quam feci consanguineo meo Henrico de Rosenberg sub conditione tali vedelicet quod si me sine liberis legittimis mori contingeret, ad eum bona ipsa pertinere deberent in praesentia praedicti domini mei regis, praesentibus revoco et volo quod ipsa donatio de cetero nullam obtineat firmitatem. In quorum omnium testimonium et praedicti domini regis ac haeredum suorum cautelam praesentes literas feci sigillo meo consueto et proprio sigillari. Actum Pragae anno domini MCCXCIV. octavo Kalendas Augusti et septimae indictionis, datum vero ibidem anno domini MCCXCVIII. tertio Kalendas Augusti XI. indictionis.

E. MS. Raudnicensi descr. Palacký.

XII.

Boleslaus dux Opoliensis civitati Crapicz IV. mansos inter Oderam et Hoczenplocz fluvios concedit, item aduocato duas piscinas construendas in fluvio Hoczenplocz et silvam et prata inter Styblov et Hoczenplocz fluvios. Datum apud Opol infra octavam S. Bartholomaei. 1294.

Dipl. Beiträge für ſchleſ. Rechte. I. p. 50.

XIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, ratificat venditionem villae Wodochod factam Thobiae episcopo Pragensi per Ekkonem, magistrum domus S. Laurentii, ordinis militiae templi Pragae. Dto. Pragae VII. Idus Septembris 1294.

Nos Wenczlaus dei gratia Boemie rex, dux Cracovie et Sendomirie, marchioque Moravie tenore presentium notum facimus universis, quod

nos venerabilis in Christo patris domini Thobie Pragensis episcopi, dilecti principis consanguinei nostri, supplicationibus humillimis satisfacere cupientes, venditionem in Wodochot, factam dicto episcopo per viros religiosos Ekkonem magistrum et fratres domus sancti Laurentii ordinis militie templi Jerusalimitani in Praga, ratam et gratam habemus, eique nostrum benigne prestamus assensum. In cuius rei testimonium presentes literas fieri et sigillorum nostrorum monumine fecimus communiri. Datum Prage per manus magistri Petri prothonotarii nostri, Pragensis, Wratislawiensis et Wissegradensis ecclesiarum canonici. Anno Domini M. CC. nonagesimo quarto VII. Idus Septembris. VII. Indictione.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae. — Pelzel in den böhm. Abhandlungen 1798.

XIV.

Henricus, comes de Freiberg, villam Pozmansdorf Sydylmanno judici suo possidendam confert. Dto. in Freiberg die nativitatis B. V. Mariae. 1294.

In nomine domini amen. Labilis est hominum memoria, sed uiuit littera, qua uiuente uiuit et actio litterarum memorie commendata. Notum igitur sit vniuersis tam presentibus quam futuris: Quod nos Henricus comes de Fryburk proborum virorum matura deliberatione intercepta, villam nostram Pozmansdorff Sydylmanno fideli nostro iudici cum suis heredibus rationabiliter et rite hereditarie possidendam contulimus in hunc modum: Quod prefatus iudex ad viginti quatuor laneos debet habere decem annis cum suis incolis liberatem. Insuper ibidem habebit pro silua locanda, que adiacet riuulo, qui uocatur Coswezt, viginti annis libertatem. Debet etiam habere iudex memoratus pro recompensatione sui laboris ex vtraque parte. in supra dicta villa vnum liberum laneum agrorum sub aratro suo, et sextum laneum libere obtinebit. Item tabernam, molendinum cum duabus rotis, fabrum, pistorem, carnificem et sutorem: et libertatem venandi pro suis necessitatibus. Ecclesiam uero cum laneo dotali, et tertium denarium de iudicio sibi recipiat pro nobis duos fideliter obseruando (sic). Volumus etiam, ut ante sepedictus iudex cum suis incolis habeat ius Lubschicense in om-

nibus. preter quod laneos more francorum debet obtinere. Preterea d ter in anno iudicio generali quod foitding dicitur in ciuitate Fryburk iu mettertins cum duobus scabinis interesse. Volumus etiam in suprad villa tribus vicibus in anno et nos in propria persona iudicio presid expensas vero apud iudicem semel habebimus, duobus autem aliis vici de communitate rusticorum. Volumus etiam, ut finita libertate laneus p solnat ad festum s. Martini tres lotones argenti, et in festo s. Walpu tres lotones puri argenti. Annonam vero ad semina debet presentare delicet duas mensuras tritici, duas siliginis, et duas auene. Vt autem donatio stabilis et semper inuiolabilis perseueret, presentem cartulam si nostri munimine tradidimus roboratam testibus mediantibus, qui prefate nationi, cum fieret, astiterunt, quorum hocmodo nomina nuncupantur: Th doricus aduocatus. Nicolaus iudex de villa Glosseri. Pesco. Rudolf Martinus. Ludouicus de Brunsperk et de Fryburk, et alii complures digni. Acta sunt hec in Fryburk, anno domini millesimo ducentesimo nagesimo quarto, in die beate Marie natiuitatisque eiusdem virginis glori

E iibro privilegior. MS. sec. XVI. Cremsirii. — Collat. cum Vidimus epis Prothasii de anno 1467. pro iudice in Kozlowic; orig. Cremsirii.

XV.

Conradus, abbas Welehradensis, distinquit domos censuales ecclesiar S. Petri et S. Jacobi Brunae. Dto. III. Idus Septembris 1294.

Nos frater Cunradus dictus abbas monasterii de Welegrad, Cist ciensis ordinis, Olomucensis diocesis. Vniuersis Christi fidelibus presen litteras inspecturis cupimus esse notum, quod cum anno domini millesi ducentesimo nonagesimo tertio, sexto kalendas Julii, indictione sexta, arbitrio super limitibus parochialium ecclesiarum sancti Petri et sancti J cobi Burgi Brunensis, predicte diocesis, per nos legitime lato, per par adprobato, et per reuerendum patrem dominum Theodericum, dei gra episcopum Olomucensem, in publicam formam redacto, ratificato, confirma et ad vota precesque partium sigillo eiusdem roborato, articulus de ce

sualibus uideretur interpretationis et declarationis remedio indigere, nos freti auctoritate Marciane legis, que digestis de regulis iuris ait: Quod in ambiguis occasionibus eius sententia maxime spectanda sit, qui eam protulisset, presertim cum etiam permisso canonis: *eius sit interpretari, cuius est concedere* — ad interpretandum et declarandum de censualibus articulum, accedentibus votis et consensu partium. Nos in nomine domini accinximus iuxta consciencie nostre veritatem. Igitur non fauori partium et personarum, sed equitati causarum intendentes intentionem nostram, quam in ipso actu arbitrandi deo teste nos habuisse recognoscimus, in hiis scriptis publicamus, quod in articulo de censualibus, qui talis est. — Omnes censuales domos ... sacramenta ad eandem sancti Petri ... devoluuntur, nihil aliud intendimus, quam ut si predicte censuales domus plebano sancti Petri et non alterius persone seu aliis personis censum immediate solverint, tunc ipse domus censuales cum suis habitatoribus sub omni ecclesiastico iure ad ecclesiam sancti Petri deberent merito pertinere. Nunc vero, cum supradicte censuales domus, licet in fundo sancti Petri site sint, non tamen plebano sancti Petri, sed aliis quibusdam censum tribuunt, intentionis nostre non exstitit, ut ratione fundi ad sanctum Petrum pertinentis et aliis hominibus censum solventis, ipse domus sub ecclesiastico jure ad ecclesiam sancti Petri pertinere deberent, maxime cum lex inutilibus stipulationibus dicat: Si de re alia senserit stipulator, et de alia promissor, perinde nulla contrahitur obligacio. At intentio nostra se ad aliud, quam ad illud, ad quod votum plebani et partis ecclesie sancti Petri post latum arbitrium nostrum collimabat, noscitur extendisse, itaque interpretando et declarando in hiis scriptis publicamus, quod antedicte censuales domus, licet ut predictum est in proprietate sancti Petri site sint, non tamen immediate plebano sancti Petri sed aliis personis sub emphyteosis seu conductionis seu cuiuscunque alterius iuris vel possessionis titulo censum tribuunt, iuxta intentionem nostram, quam in ferendo arbitrio nos habuisse, teste conscientia recognoscimus, sub omni ecclesiastico iure ad ecclesiam s. Jacobi debeant pertinere. In cuius rei testimonium presentes litteras conscribi fecimus, sigillo nostro necnon sigillis venerabilium domini Johannis tunc de Sar nunc vero de Pomuk abbatis, necnon domini Waltheri coabbatis nostri de Zmilnhaim, quorum presentia et consilio in ferendo arbitrium nitebamur, fideliter

communitas. Datum anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo qu Tertio idus Septembris.

Ex orig. curiae Brun. N. I. n. 4, Lefebure p. 49.

XVI.

B. decanus Wissehradensis hortatur Olomucensem episcopum Theoa cum, ut monasterium Welehradense in libertatibus a sede apostolica cessis conservet. dto, in Wissehrad fer. V. post diem OO. SS. 129

Venerabili in Christo patri ac domino Th.(eodorico) diuina elecc episcopo Olomucensi B. dei gracia decanus Wissegradensis sedi aposte sine ullo medio subiectus, priuilegiorum monasterii Welegradensis or Cisterciensis diocesis antedicte a sede sanctissima predicta sibi concesso defensor datus et conseruator sinceram ad queuis beneplacita sua vo tatem. Magister Nicolaus plebanus in Rediz, syndicus seu procurator nasterii antedicti legaliter instructus, in nostram comparuit presenciam querendo, quod idem monasterium contra indulgencias et libertates si sepedicta sede concessas per vos et quosdam vestros prelatos et alios feriores clericos indebite sepius molestetur, vnde quedam nobis priuil tales libertates et indulgencias continencia obtulit supplicando, vt ea lecta et intellecta dignaremur secundum iniunctum nobis conseruacionis ficium defensare. Nos, quia in bulla stilo et filo et sine qualibet literra macula premissa examinacione diligenti ea salua inuenimus et incorru ad plenam veritatis fidem vobis ea duximus transcribenda. — Alexa episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis abbati Cisterciensi eius coabbatibus et conuentibus vniuersis Cisterciensis ordinis salutem et a stolicam benediccionem. Cum felicis recordacionis Innocencius papa decessor noster olim duxerit statuendum, vt exempti quantacunque gaud libertate, nichilominus tamen racione delicti seu contractus aut rei, de contra ipsos agitur, possint coram locorum ordinariis conueniri, et illi qu hec suam iurisdiccionem, prout ius exigit, exercere, vos dubitantes, ne constitucionem huiusmodi libertatibus et immunitatibus vobis et ordini ve per priuilegia et indulgencias a predicta sede concessis preiudicari val

nobis humiliter supplicastis, vt prouidere super hoc indempnitati vestre paterna sollicitudine curaremus. Quia vero eiusdem ordinis sacra religio sic vos apud nos dignos fauore constituit, vt nobis votiuum existat, vos ab omnibus, per que vobis possent prouenire dispendia, inmunes libenti animo preseruare: vobis auctoritate presencium indulgemus, vt occasione constitucionis huiusmodi nullum eisdem libertatibus et immunitatibus in posterum preiudicium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani V. Idus Decembris Pontificatus nostri anno sexto. — *Innocencius* episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis abbati Cisterciensi eiusque coabbatibus et conuentibus vniuersis Cisterciensis ordinis salutem et apostolicam benediccionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit racionis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod nonnulli ecclesiarum prelati vestris libertatibus inuidentes, cum eis non liceat ex apostolice sedis indulto in vos excommunicacionis sentencias promulgare, in familiares seruientes et benefactores ac illos moluunt in molendinis vel coquunt in furnis vestris, quique emendo vel vendendo vel alias vobis communicant sentencias proferunt memoratas, sicque non vim et potestatem priuilegiorum nostrorum sed sola verba seruantes vos quodammodo excommunicant, dum vobis alios communicare non sinunt, et ex hoc iudicari vidimini iudicio iudeorum et qui vobis communicant in predictis, illud euenit inconueniens quod maiorem excommunicacionem incurrant, quam excommunicatis communicando fuerant incursuri. Quare nobis humiliter supplicastis, ut prouidere quieti vestre super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur vestris supplicacionibus inclinati, ne quis predictorum huiusmodi sentencias in fraudem priuilegiorum apostolice sedis de cetero promulgare presumat, auctoritate presencium districcius inhibemus, decernentes eas, si per presumpcionem cuiuspiam taliter promulgari contigerit, irritas et inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibicionis et constitucionis infrin-

gere vel ei ausu temerario contraire. Si quis etc ... Datum Lugduni III. Idus Octobris; pontificatus nostri anno octauo. —

Quare pater reuerende vestram providenciam duximus ammonendam, quatinus ob reuerenciam apostolice sedis vestramque dominum abbatem et conuentum monasterii sepedicti in libertatibus sibi a sepedicta sede concessis de cetero conseruetis, scientes quod metu excommunicacionis apostolice, quam incurrere formidamus, oportebit nos officii nostri debitum, prout iustum est et a nobis petitum fuerit, exercere. Et in testimonium priuilegiorum hic inscriptorum, que sub bullis papalibus vidimus, presens instrumentum sigillo nostro et sigillis honorabilis viri domini Vlrici prepositi Pragensis et magistri Bartholomei iuriste fecimus communiri. Acta sunt hec in ecclesia nostra Wissegradensi anno domini MCCLXXXXIIII. proxima feria quinta post diem omnium sanctorum; presentibus hiis: domino Dominico, magistro Welizlao, canonicis ecclesie nostre et aliis quam pluribus fide dignis.

Cod. Welehr. Fol. 81.

XVII.

Decisio litis de decimis ecclesiae in Henrichs (Biteš) inter plebanum ibidem et monasterium Tišnowicense. Dto. Brunae Nonas Novembris 1294.

Reuerendo patri. Domino Th.(eoderico) dei gracia Olomucensi Episcopo. Th. abbas in Zaberdowitz. et H. archidiaconus Brazlauiensis iudices delegati ab ipso, in causa que inter Religiosas dominas. Abbatissam et conuentum Monialium *de Thusnawitz* ex vna parte, et Petrum plebanum de Henrichs ex parte altera super tercia parte decimarum ecclesie *in Henrichs* vertitur, reuerenciam et honorem. Noueritis, nos a curia uestra recepisse litteras in hec uerba. Th. dei gracia Olomucensis Episcopus. venerabilibus fratribus, dominis Th. abbati Zaberdovicensi et H. archidiacono Brazlauiensi sinceram in domino caritatem. Conqueste sunt nobis dilecte in Christo filie. abbatissa et conuentus dominarum de Thusnawitz, quod Petrus plebanus in Henrichs super quibusdam decimis, et rebus aliis

iniuriatur eisdem. Quocirca mandamus, quatenus partibus conuocatis, audiatis causam, et fine canonico decidatis eandem facientes, quod decreueritis per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes vero qui nominati fueriut, si se gracia, odio, uel timore subtraxerint compellatis veritati testimonium perhibere. Datum in Cremsir VII. Kalendas octobris. Nos igitur volentes mandatum vestrum exequi reuerenter predictum petrum plebanum de Henrichs ad presenciam nostram duximus euocandum predictis abbatisse et conuentui responsurum. Ille autem in presencia nostra comparens personaliter, sine strepitu iudicii vsus saniori consilio ante terminum, sibi per nos assignatum presente parte aduersa de plano et simpliciter cessit liti et de tercia parte decimarum ecclesie sue in Henrichs quam petebant domine supradicte promittens bona fide secundum tenorem priuilegii domini Brunonis Olomucensis Episcopi et Capituli sui Olomucensis se fouere predictas dominas abbatissam et conuentum in iure ipsarum quantum ad prefatam partem terciam decimarum, et eisdem in nullo penitus derogare. Et hoc vestre reuerencie intimamus et a vobis id ipsum ratificari petimus vestrarum testimonio litterarum. In cuius rei testimonium presentes litteras sigillis nostris et sigillo predicti domini Petri plebani in Henrichs fecimus sigillari. Datum in Brunna anno domino M. CC. XCIIII. Nonas Nouembris.

Ex originali cum tribus sigillis in archivo ejusdem monasterii.

XVIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterium Tišnowicense ab omnibus exactionibus et aliis oneribus eximit. Dto. in Olomuc V. Kalend. Decembris 1294.

Nos Wencezlaus dei gracia Rex Boemie. Dux Cracouie et Sandomirie. Marchioque Morauie tenore presentium notum facimus vniversis tam presentibus quam futuris. Quod cum venerabile Monasterium de *Tusnowicz* ob reuerenciam dei et veneracionem beate Marie virginis gloriose, sic pronis et benegnis prosequamur fauoribus, prerogatiua gracie specialis, quod Monasterium ipsum tanquam nostram fundacionem diuine retribucionis intuitu in nostram proteccionem assumpsimus manutenendum ab illicitis

inpetitionibus, et iniuriosis fatigacionibus contra quoslibet nostre tuicionis presidiis defendendum. Supplicacionibus itaque honorabilis viri Jacobi prepositi dilecti nobis eiusdem Monasterii .. abbatisse et conuentus ac suo nomine nobis humiliter supplicantis benignius inclinati, Monasterium ipsum et vniuersas possessiones ac homines eius quoslibet eximimus et exemtos eos esse volumus ammodo, a.. Camerario, et Lanthrichteriis seu villicis ac aliis officialibus Morauie qui pro tempore fuerint ita, ut cum ipso Monasterio et hominibus ac possessionibus suis vlterius penitus nichil agant, et ad inponendum iam dicti Monasterii hominibus seruicia et exacciones qualescunque nullam habeant potestatem nec aliquam iurisdiccionem ex officio suo de ipsis sibi audeant aliquatenus deinceps vsurpari, volentes quod super hiis, nostrum tantummodo attendatur speciale mandatum, per eum quem ad hoc duxerimus deputandum. Preterea de gracia speciali tenore presentis priuilegii statuimus et inhibemus expresse nostre gracie sub obtentu, ne quis Baronum et Nobilium terrarum nostrarum Boemie et Morauie decetero procedendo ad aliquas expediciones et alia, queuis seruicia nostra ullo umquam tempore in bonis eiusdem Monasterii de Tusnowicz, presumat aliquatenus hospitari seu pabulaciones ac alias violencias committere in eisdem. Quod si quis contra inhibicionem nostram huiusmodi attemptare aliqnid visus fuerit nostram regiam grauem indignacionem proculdubio se nouerit incursurum. In cuius rei testimonium presentes fieri et sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri. Datum in Olomuncz, per manus Magistri Johannis Saccensis prepositi, Prothonotarii nostri Morauie, anno domini Millesimo Ducentesimo Nonagesimo Quarto. V. Kalendas Decembris. Indiccione octaua.

E confirmatione Johannis, regis Bohemiae, anni 1315. IV. Idus Martii, in archivo ejusdem monasterii.

XIX.

Hartlibus et Witigo de Dubna monasterio Welehradensi mediam villam Bochoř, a patre suo Henrico legatam conferunt. Dat. sub die b. Thomae Apostoli 1294.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Quoniam sicut ait apostolus qui seminat in benediccionibus de benediccionibus et metet, nemo

dubitauerit illum felicem ac prudentissimum fore, qui propter christum sic in terris seminat bona temporalia vt in extrema mundi messe metat eterna, et de vultu sapiencie in quem angeli prospicere desiderant in perpetuas eternitates colligat gaudia nulla vmquam temporum longitudine finienda. Quocirca nos Hartlibus et Witigo fratres fide presencium recognoscimus et protestamur. quod cum hac rerum vtilium habita consideracione vir nobilis dominus Hartlibus de dubna dilectus ac dulcis memorie genitor noster viam vniuerse carnis ingressurus graui admodum teneretur egritudine, sane tamen mentis suique iuris, et rerum suarum liberam habens administracionem sub presencia et qualitate testium et numero a lege diffinitorum sub vniuersis eciam condicionibus et circumstanciis ad testandum pertinentibus vltime uoluntatis legitimum condidit testamentum. Itaque inter ceteras donaciones testamenti de consensu domine Budizlae honorabilis domine coniugis sue matris nostre, nostris eciam et omnium quorum intererat votis et consensu in id ipsum concurrentibus dimidiam ville porcionem que *Bochor* dicitur limitibus Prerouensium cometaneam et villarum videlicet *vgest, Wlohuz* et *Musnicz* ab auis suis ad se deriuatam, quam ipse bona fide iusteque proprietatis nomine possidebat cum ortis, agris cultis et incultis, pratis feniferis, pascuis, virgultis, saltibus, siluis piscacionibus cum aliis vniuersis attinenciis Monasterio de *Welegrad*, presertim cum illum locum, illumque ordinem cuius sanctitas per vniuersam fraglat *(sic pro flagrat)*. Ecclesiam affectuosius diligeret, libere contulit sub iuste proprictatis tytulo perpetuo possidendam, nullam sibi deinceps ac suis heredibus in predicte ville porcionem iurisdiccionem, seu seruitutis cuiuscunque utiliatem vendicans et reseruans, ipsam renunciacionem potestatiue transfundens in suos posteros et heredes. Vir autem venerabilis dominus Lupinus, tunc temporis abbas et fratres de Welegrad eiusdem ville cum donacionem non sine gratitudine suscepissent, iuxta morem terre coram officialibus et zudariis in Prerouia in corporalem eiusdem ville possessionem absque omni omnium hominum contradiccione ac excepcione legaliter subintrarunt et in ipsa per annos plures legitime permanserunt. Nos paterne pietatis immitatores eandem donacionem gratam et ratam vsque hodie tenuimus et tenemus, promittentes nos tuicionem et defensionem eiusdem donacionis contra inpetitores quoslibet si qui quod absit essent fideliter prestituros. In cuius rei testimonium

presentes litteras conscribi fecimus. sigillis honorabilis ac dilecte domine Budizlae ac nostris fideliter communitas, testibus ydoneis quorum hec sunt nomina subnotatis, Dominus Jacobus prepositus de Tusnawicz, dominus Mutina prepositus de Dubranik, dominus Atlibus de Medlau, dominus Sthephanus de Perensthein cum fratribus suis Philippo Igramo et Bohuzlao. Datum anno domini M. CC. nonagesimo quarto sub die beati Thome apostoli indiccione octaua.

Ex originali cum duobus sigillis integris in archivo ejusdem monasterii.

XX.

Indulgentiae a pluribus episcopis concessae visitantibus ecclesiam b. virginis Mariae in coelos assumptae in antiqua Brunna. Datum anno 1295.

Ex indice privilegiorum monasterii Aulae S. Mariae a Bonaventura Pitter congesto sub rubrica C. n. 1. — Orig. nunc in archivo C. R. aulico Viennae servatur.

XXI.

Transumtum literarum Brunonis, Olomucensis episcopi de anno 1255. concernentium ecclesias monasterii Rayhradensis. cc. 1295.

Reuerendo in Christo patri et domino propriis meritis honorando domino Th. episcopo Olomucensi. V.(nka) et Th.(eodericus) miseratione diuina Trebecensis et Zabardowicensis ecclesiarum abbates, et H.(einricus) archidyaconus Wretizlauiensis (Brechizlauens.) reuerentiam debitam cum orationibus assiduis et deuotis. Nouerit uestra paternitas reuerenda, uidisse nos priuilegium Reygradensis ecclesie, non uiciatum nec in aliqua parte sui lesum, a preposito eiusdem ecclesie nobis ostensum per omnia in hec uerba: In nomine domini amen. Bruno etc. . . . VIII. Idus Novembris MCCLV. vide T. III. n. 220. Vt autem paternitati vestre de eo uidelicet, quod prescriptas litteras uidimus, nullum possit dubium generari, presentes uobis mittimus sigillorum nostrorum munimine roboratas.

Ex originali olim in archivo archiepiscopali Olomuc. nunc Rayhradii asservato.

XXII.

Iwanus, episcopus Lacedemonensis, monasterio Rayhradensi indulgentias elargitur. Dto. Pragae, anno 1295.

Vniuersis christi fidelibus, ad quos presentis scripti continentia deuenerit, frater ywanus, dei gratia Lacedemonensis ecclesie episcopus, salutem in domino sempiternam. Cum populus fidelium ad deuotionis augmentum et ad querendum sanctorum limina tanto studiosius inducatur, quanto in ipsis uberioris gratie veniam se estimauerit inuenire, et cultus diuinus diminui non debeat, sed pocius augmentari. Nos de omnipotentis dei misericordia, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et quam nobis dominus indulsit auctoritate confisi, omnibus uere penitentibus et confessis, qui ad Raygradensem ecclesiam Olomucensis dyocesis in natiuitate, in resurrectione domini nostri Iesu Christi, in die pentecostes, in annunciacione, in assumpcione, in natiuitate, in purificacione beate Marie virginis, in festiuitate omnium sanctorum, in sollempnitatibus apostolorum, in die dedicacionis ecclesie, scilicet in die dominica proxima post natiuitatem beate Marie, in diebus patronorum, scilicet beatorum Petri et Pauli apostolorum, in ascensione domini, in die beati Michaëlis Archangeli, et in diebus beatorum Martini, Nycolai, et in diebus beatarum virginum, Katerine, Margarete, Barbare, Scolastice, annua deuocione in singulis diebus dominicis per circulum anni causa deuocionis venerint, XL. dies de iniuncta ipsis penitentia misericorditer, si dyocesani consensus accesserit, relaxamus. Datum Prage, Anno domini M. CC. XC. V.

Ex orig. olim in archivo archiepiscop. Olomuc. nunc Rayhradii asservato.

XXIII.

Benešius de Wartenberg protestatur, quod Elisabetha uxor ejus, villam Černjn a conventu monasterii S. Clarae Znoymae emit. Dto. in Černjn in die S. Agnetis 1295.

In nomine domini amen. Ego Benessius, dictus de Wartenberch, presentibus protestor, quod domina Elyzabeth, relicta domini Kadoldi

orphani, et soror Benigna abbatissa totusque conuentus sororum ordinis sancte Clare de Znoym, nimia paupertate oppresse vendiderunt Elyzabeth, coniugi mee, in villa, que Ztyrnins vocatur, omnem hereditatem, quam ibidem habuerunt, pro XL. marcis puri argenti ponderis Morauici, qua decedente nullus puerorum aut quorumlibet amicorum eiusdem Elyzabeth mee comparis inpedire poterit, quin prefata hereditas memoratis sororibus in Znoym assignetur. In huius rei testimonium presentes litteras nostro sigillo fecimus roborari. Datum in Zcyrnins. Anno domini Millesimo CC. LXXXX. V. in die Sante Agnetis virginis ac martyris.

Ex orig. in Musaeo.

XXIV.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, confirmat monasterio Welehradensi privilegium praedecessoris sui, Boleslai ducis Krakoviae, super sal in Bochňa percipiendum. Dto. Brunae VI. Kalend. Februarii 1295.

Nos *Wenceslaus* dei gracia rex Boemie, dux Cracouie et Sandomirie, Marchioque Morauie, tenore prẽsencium notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod cum illustris dux *Bolezlaus* Cracouiensis ducatus nostri, noster predecessor, *Welegradensi* monasterio venerabili pietatis intuitu octoginta salis seu Baluanos, sicut de certo testimonio fidedignorum virorum eiusdem ducatus nostri Cracouiensis plenissime didicimus, graciose contulerit in *Bochna* integraliter percipiendos per ... abbatem et conuentum eiusdem monasterii anno quolibet, singulis annis inperpetuum pleno iure. Nos monasterium idem quod pronis affectibus, intima gratitudine prosequimur, nostris fauoribus cupientes extolli prerogatiua gracie specialis, donacionem ipsam, quam ratam et gratam fauorabiliter habemus, eidem monasterio de liberalitatis nostre munificencia benignius innouantes, eam ex certa nostra sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio liberaliter communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram ac predicti predecessoris nostri donacionem et confirmacionem eciam nostram fauorabilem infringere, aut ei ausu temerario contraire; quodsi quis secus

attemptare presumpserit, omnipotentis dei grauissimam offensam et nostram ingratitudinem se senciat incursurum. In cuius rei testimonium presentes fieri et sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri. Datum Brunne per manus magistri Joannis Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie, anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, VI. Kalen. Februarii, indiccione *septima.*

Ex originali in archivo ejusdem monasterii. A. 6.

XXV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, Brunoni, militi suo, camerario Moraviae, villas Mladëjowice, Neundorf, Rietschz, Dobroslawowa Lhota et Krakowic in feudum confert. Dto. Brunae IV. Kalend. Martii. 1295.

Theodericus dei gracia Olomvcensis episcopus — omnibus in perpetuum. Ecclesiasticis vtilitatibus desudantes — ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, et qui voluntariis obsequiorum necessitatibus se subiciunt, digne nostris prouisionibus consolantur. Hinc igitur notum facimus vniuersis presentibus et futuris, quibus ostensum fuerit presens scriptum, quod nos de consilio et assensu fratrum nostrorum, Bvdizlai decani, Cyri prepositi, Friderici archydiaconi tociusque capituli ob remunerationem plurium obsequiorum — a Brunone milite nostro camerario Moravie, et antecessoribus eius — nobis et ecclesie nostre fideliter prestitorum, et in posterum prestandorum, quinque villas ecclesie epyscopatus nostri, cum omnibus iuribus et prouentibus, aquis, siluis, pratis, campis, que de antiquo fevdo existunt, videlicet Bladowiz, Nevndorf, Rietschz, Dobroslahota, et Kracowiz, sibi et heredibus eius, legitime descendentibus ab eodem, damus et concedimus in feudum et iure feudi perpetuo pacifice possidendas, saluo aurifodio, uel argenti, salis uel cuiuslibet alterius metalli, quod ad nos si emerserit — dumtaxat volumus pertinere. Verum vt idem Bruno et heredes eius per exhibitionem certi obsequii hominem ecclesie se recognoscat, hoc onus ei inponimus, ut tempore vite sue cum duobus dextrariis nobis debeat, cum requisitus fuerit, deseruire. Ipse quoque Brvno iam permisit et preter eum quilibet eius heres in fevdo succedi predicto promittet, se

de cetero nostrum et ecclesie nostre fidelem esse fasallum, et tantum cum vno dextrario tenebitur deseruire. Hoc etiam adiecto, quod idem Bruno vel heredes eius de laneo quolibet vnum scheffelonem tritici — mensure Opaviensis, tenebuntur nostro capitulo annis singulis assignare. Insuper et ecclesiam nostram — bona, possessiones, res, iura, honores presentes et futuros, fideliter defensare, manutenere et recuperare iuuabit. quocienscumque uel quandocunque super hoc fuerit requisitus, consiliumque vtile pro posse et auxilium exhibere, et generaliter in omnibus puram et veram fidelitatem nobis et nostris, et ecclesie nostre obseruare. Testes huius rei sunt: prelati nostri et canonici, Bvdizlaus decanus. Cyrus prepositus, Fridericus archydiaconus, magister Wernherus, Johannes scolasticus — Rancyrus, Thecontius, Petrus, Leo et Andreas, magister Symon, Stephanus, totumque nostrum capitulum, Mylota de Tiediz, Chvno de Chvnstat — Wolframus de Moderiz, Lupus de Plapcz, Witigo, et Rabisius fratres de Swabeniz, Tazzo de Lomniz, Mathyas de nigro monte, Albertus et Steniko fratres de Sternberch, Hartmannus de Holenstein — Protiba de Dvbrawiz, Onso de Schonenwalde, Nycolavs de Brodeleins domini terre, et alii quam plures viri ydonei et discreti. Et nichilominus in huius rei testimonium presentes fieri, et tam nostro quam capituli nostri sigillorum munimine fecimus conmuniri. Actum et datum Brvnne per manus magistri Ambrosii, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto. IIII. kalendas Marcii.

Sig. avulsa. Ex orig. duplici in arch. archiepiscopali feudali Cremsir.

XXVI.

Indulgentiae a nonnullis episcopis capellae s. Nicolai Brunae concessae a Theoderico episcopo Olomucensi ratihabentur. Dto. Romae Idus Martii 1295.

Uniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, Rogerius dei gracia archiepiscopus sancte Seuerine, frater Maurus Ameliensis, frater Franciscus Terracinensis. Manfridus de sancto Marco, Franciscus Fanensis,

Perronus Larinensis eadem gracia episcopi, salutem in domino sempiternam. Quoniam quidem de salute fidelium solliciti deuocioni ipsorum quasi quibusdam allectiuis Muneribus indulgenciis videlicet et remissionibus inuitamus ad debiti famulatus honorem deo et sacris edibus impendendum vt quanto crebrius et deuocius illuc confluit populus Christianus tanto celerius delictorum suorum veniam consequatur. Cupientes igitur vt capella in Brunna Olomucensis dyocesis, que in honore sancti Nycolai et beate Katerine virginis est fundata congruis honoribus et iugi Christi fidelium frequentacione veneretur. Omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad dictam capellam in festis subscriptis, videlicet, Natiuitatis, Resurrectionis, ascensionis domini nostri Jesu Christi, atque pentecostes, in quatuor festiuitatibus gloriose virginis Marie, sancti Michaelis archangeli, sancti Johannis baptiste, beatorum Petri et Pauli aliorumque omnium apostolorum, sancti Nycolai et beate Katerine virginis patronorum, et in festo omnium sanctorum, et in anniuersariis dedicationis ipsius capelle et altarium existencium in eadem, et per octo dies predicta festa immediate sequentes, et singulis quartis feriis, causa deuocionis accesserint, aut qui prelibate capelle pro sua fabrica uel structura luminaribus ornamentis vel pro aliis suis necessariis manus porrexerint adiutrices, seu in extremis laborantes quicquam suarum legauerint facultatem. Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, singuli singulas dierum quadragenas, de iniunctis sibi penitenciis, dummodo consensus dyocesani ad id accesserit, in domino misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum. Datum Rome ydus Marcii, Anno domini M. CC. L. XXXX. quinto, Pontificatus domini Bonifacii pape octaui anno primo.

Nos Theodericus Episcopus Olomucensis has indulgencias ratas habemus de nostro addicientes dies XL.

Ex originali in archivo curiae Brun. f. N. XII. n. 1.

XXVII.

Bonifacius VIII. confirmat privilegia monasterii Břewnowiensis, praepositurae Policz, Raygrad et Braunow. Dto. Romae VI. Idus Aprilis. 1295.

Bonifacius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis ... abbati et conuentui monasterii Brewnouiensis prope Pragam ordinis sancti Benedicti salutem et apostolicam benedictionem. Honestis et humilibus supplicum uotis libenter annuimus, illaque fauoribus prosequimur oportunis. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod in Reygrad, in Policz et in Braunow prepositure alias prioribus nuncupate dicti ordinis Pragensis et Olomucensis diocesis fuerunt prout sunt eidem vestro monasterio et abbati ipsius monasterii pro tempore existenti pleno iure subiecte, consueueruntque regi et gubernari, ac de presenti reguntur et gubernantur per monachos vestri monasterii, quodque abbas dicti vestri monasterii, qui est pro tempore, prepositos et priores prepositurarum et prioratuum predictorum, ac vicarios, qui pro tempore in preposituris seu prioratibus supradictis deseruiunt, qui quidem vicarii monachi duntaxat dicti monasterii esse consueuerunt, pro solo nutu et libera voluntate instituit et destituit, ac instituere et destituere consueuit a tempore, cujus contrarii memoria non existit. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissa auctoritate apostolica confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, premissa auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis et communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum VI. Idus Aprilis pontificatus nostri anno secundo.

E copia vidimata in archivo Rayhradensi.

XXVIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, bona mensae suae in Březowa Theodorico, episcopo Olomucensi, confert. Dto. Brunae VI. Idus Maii 1295.

In nomine domini amen. Bone rei dare consultum, et presentis vite habetur subsidium, et eterne remuneracionis cernitur expectare premium, presertim ubi pro deliberacionis id agitur officio, per quod iura et possessiones venerabilium ecclesiarum salue remaneant, et ab impeticionis instancia imposterum liberantur. Proinde nos Wencezlaus, dei gracia rex Boemie, dux Cracouie et Sandomerie, marchioque Morauie. Notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod cum inter nos ex una parte, et venerabilem patrem, dominum Theodricum Olomucensem episcopum, ex altera, super bonis et districtu, qui uocatur Brezouia, inter Switauiam et Lethowicz constituti, questio verteretur, nobis asserentibus predicta bona fore regalia et ad mensam nostram spectare, ipso uero patre domino Olomucensi, qui in possessione eorum est et fuerat, illa esse bona episcopalia econtrario attestante. Tandem nos uolentes nostro pocius, quam iuri ecclesie deperire, ob merita eciam seruiciorum multiplicium, que idem venerabilis pater nobis fideliter exhibuit, et nichilominus pro remedio animarum nostre, et progenitorum nostrorum, omne ius, si quod nobis uel successoribus nostris, competere poterat in bonis predictis, pro nobis, et heredibus nostris, prefato patri, et per eum episcopatui Olomucensi, simpliciter et de plano cedimus et recognoscimus pleno iure. Absoluentes eum super hiis, et accionem quamlibet remittentes eidem, vt deinceps ipse, et successores ipsius, absque cuiuslibet impeticionis et perturbacionis obstaculo, predicta bona cum toto districtu suo, villis attinentibus, pratis, siluis, et aliis vniuersis pertinenciis, spectantibus ad eadem, quiete et pacifice imperpetuum ualeant possidere. Promittimus itaque, nostro et heredum nostrorum nomine, eandem cessionem et recognicionem ac remissionem semper ratam et gratam habere, et contra eam ullo vmquam tempore, per nos, uel personam interpositam, non uenire. Renunciantes minoris etatis et restitucionis in integrum beneficio, et omni iuris ciuilis uel canonici auxilio, quod nobis

posset aiiquatenus suffragari. Testes huius rei sunt. Venerabilis vir dominus Johannes, Wissegradensis prepositus, regni Boemie cancellarius, princeps noster dilectus, magister Petrus, prothonatarius Boemie, frater Hermannus de Domo Teutunica, confessor noster, dominus fridricus, archidiaconus Olomucensis, Insuper nostri nobiles, Hartmannus de Holensteyn. Witko marsalcus Morauie, et Hrabissius frater eius, Onso camerarius Olomucensis, Tymo purcrauius de Gemnicz. Philippus de Bernsteyn, et Bohuzlaus frater eius. Predborius zudarius prerowiensis, et alii fideles nostri quamplurimi fidedigni. Et nichilominus in huius rei testimoninm et robur perpetuo ualiturum, presentes litteras conscriptas exinde sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum Brunne et datum ibidem per manus magistri Johannis, Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto. Sexto Idus Maii. Indiccionis octaue .. — —

(Sig. magn. laesum.) Ex orig. in arch. cap. Olom.

XXIX.

Monasterium Litomyślense, ordinis Praemonstratensis, vendit Joanni, praeposito Wissehradensi villas Wokow, Pamětice et Kladrub in Moraviae sitas. Dto. Pragae V. Idus Maii. 1295.

In nomine domini amen. Nos Johannes, dei gratia Wissegradensis prepositus, regni Boemie cancellarius, profitemur tenore presentium vniuersis, quod religiosi et honorabiles viri domini Vlricus diuina miseratione abbas, Johannes prior, Henricus subprior, et Conradus prepositus totusque conuentus Luthomislensis monasterii, Premonstratensis ordinis, Pragensis diocesis, considerantes attente grata ac utilia et accepta seruitia, que eis exhibuimus hactenus, gratanter exhibemus ad presens, et exhibere poterimus gratius in futurum, ac uolentes nobis propterea grata uicissitudine respondere, ac suam et dicti monasterii conditionem in hac parte facere meliorem, non ui nec dolo inducti aut coacti, sed bona, libera et spontanea uoluntate sua, accedente ad hoc eis Serenissimi domini nostri Wencezlai, regis Boemie illustris, ducis Cracouie et Sandomirie marchionisque Mo-

rauie, ac venerabilium dominorum, Guilhelmi Premonstratensis et Budissii Strahouiensis monasteriorum beneplacito et consensu, villas suas dictas Vockow, Pamethicz et Cladrub, sitas in Morauia circa Lethowicz, cum agris et araturis, ad curias ipsorum in dictis uillis pertinentibus, nec non hominibus et agris aliis omnibus cultis et incultis, siluis, rubetis, montibus, planis, pratis, aquis et aquarum decursibus, ac aliis iuribus et pertinentiis, ad dictas villas et curias spectantibus, nobis concessionis seu locationis titulo pro sexaginta Marcis argenti, Pragensis ponderis, concesserunt et tradiderunt, ac cesserunt libere de eisdem, per nos omni vite nostre tempore possidendas, habendas et utifruendas libere, pacifice et quiete, ac post mortem nostram, uel si nos, dum uixerimus, continget ad altiorem ecclesiasticum aut secularem gradum uel regularem statum promoueri, ex tunc statim easdem villas et curias cum omni melioramento et annona tam in agris quam in curiis ac pecoribus omnibus, que tempore mortis nostre aut promotionis huiusmodi ibidem inuenta fuerint, nec non cum agris sitis circa prefatam villam Vockow, quos ab Hermanno de Lethowicz et Sebastiano propria pecunia comparauimus, ad dictos abbatem, conuentum et monasterium libere ac sine contradictione et difficultate aliqua redituras. Predicti autem abbas et conuentus confessi sunt, dictas sexaginta marcas predicti ponderis et argenti se a nobis pro dictis villis integraliter recepisse, ac in suam et dicti monasterii utilitatem conuertisse, et promiserunt nobis, huiusmodi concessionem, traditionem et cessionem villarum ipsarum ratas semper et firmas tenere ac seruare, et contra eas nullo umquam tempore per se uel alium aut alios de iure uel de facto uenire, prout in litteris patentibus, per dictos abbatem et conuentum nobis super hoc datis, plenius continetur. In cuius rei testimonium presentes litteras scribi, et predicti domini regis ac venerabilis in Christo patris, domini Thobie, Pragensis episcopi, nec non nostro et predicti Strahouiensis abbatis sigillis procurauimus communiri. Actum et datum Prage, anno domini millesimo, ducentesimo nonagesimo quinto. VI. Idus Maii. Octaue Indictionis.

Ex origin. in archiv. mon. Litom. Prem. 37.

XXX.

Berchramus, dictus de Czwek, militiae templi praeceptor, profitetur, Ekkonem commendatorem in Čejkowic et Vhřinowes, bona domus in Wodochod vendidisse Tobiae, episcopo Pragensi. Dto. Pragae VIII. Kalend. Junii 1295.

Nos frater Berchramus, dictus de Czwek, domorum militie templi per Alamaniam, Schlaviam, Boemiam et Moraviam humilis preceptor ad universorum notitiam tam presentium quam futurorum cupimus devenire, quod frater Ekko, commendator in Schzaykovitz et in Vhrinawes, bona domus nostre sita in Wodochot, diecesis Pragensis, cum agris cultis et incultis ac aliis juribus et pertinentiis quibuscunque reverendo in Christo patri et domino Th. dei gratia Pragensi episcopo vendidit pro viginti et ducentis marchis puri argenti Pragensis ponderis de nostra ac fratrum nostrorum conniventia et assensu, per ipsum et suos successores Pragenses episcopos perpetuo possidenda, quam pecuniam predictum fratrem Ekkonem a prefato domino episcopo recepisse integraliter presentibus profitemur, qui etiam eadem bona cum domino episcopo iam predicto circuivit secundum terre consuetudinem approbatam. In cuius rei testimonium presens scriptum fieri et tam nostro, quam predicti fratris Ekkonis sigillorum munimine fecimus communiri. Datum Prage anno domini M. CC. XC. quinto. VIII. Kalendas Jnnii. Indictione VIII.

Pelzel in den Abhandlungen der böhm. Geſellſchaft. 1798.

XXXI.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, fratribus domus Teutonicorum confirmat jus patronatus ecclesiae in Deblin. Datum Crembsirii N. Nonas Junii 1295.

Originale in archivo Freudenthalensi.

XXXII.

Johannes, episcopus Wratislawiensis, renovat et confirmat jura advocatiae civitatis Freywaldau. Dto. Nissae, pridie Idus Julii 1295.

In nomine domini amen. Nos Johannes, dei gracia episcopus Wratislauiensis, tenore presencium profitemur, et ad uniuersorum tam presencium, quam futurorum volumus noticiam peruenire, quod, cum Gisla, relicta Kuricomanni, quondam aduocati de Vrienwalde, Johannes et Heidinricus, filii eiusdem, cum aliis pueris suis, aduocaciam in Vrienwalde, ciuitate et villa nostra, quam ibidem iure hereditario a nostra Wratislauiensi ecclesia obtinebant, Hartmanno, dicto de Grunow et Mecze, relicte Gotfridi de Vrienwalde, cum suis pueris vendidissent, et in nostra presencia legitime resignassent, nos condicionem aduocacie huiusmodi, et utilitatem siue commodum, quod in eadem ciuitate et villa nobis et ecclesie nostre obvenire consweverit, indagare volentes, priuilegium seu instrumentum locationis predicte ciuitatis et ville, nobis a predictis Gisla et filiis suis requisiuimus exhiberi. Verum cum idem instrumentum huiusmodi per exustionem deperditum affirmarent, tandem testes ydoneos perduxerunt, quorum testimonio, cum legittime nobis constat, quod dicta ciuitas et uilla Vrienwalde XL. magnos mansos debeat continere, qui a principio iure Teutonico taliter dati sunt ad locandum, quod sextus mansus aduocto ciuitatis predicte cum suis posteris libere imperpetuum hereditario iure cedat. Tria molendina libera ibidem, ubicunque in ipsis bonis melius construi poterunt super Belam, una stuba balnealis in ciuitate ipsa et maccella carnium et mense panum, quotquot opus fuerit de eisdem, insuper et tertius denarius de iudiciis ad predictam aduocatiam libere pertinebunt; preterea quod aduocatus idem de Vrienwalde causas coram eo exortas, tam maiores quam minores, et si eciam ad deposicionem manus vel capitis intendantur, prout ceteri aduocati ciuitatum nostrarum habeat iudicare. Nobis autem et successoribus nostris idem aduocatus et incole predictarum ciuitatis et uille de mansis predictis ibidem positis, tam pro decima quam pro censu tenentur soluere singulis annis in festo beati Martini unam dimidiam marcam auri puri et boni, eo, quod mansi iidem positi sint pro maiori parte in montibus, in lapidibus et rubetis, et de eisdem nichil amplius possit solui. Nos pre-

dictam vendicionem et resignacionem, factam legitime et publicatam coram nobis, ratam habentes, prefato Hartmano et Mecze vidue cum suis posteris et heredibus memoratam aduocaciam de Vrienwalde, ciuitate et uilla, cum omnibus suis pertinenciis, sicut superius est expressum, iure hereditario possidendam perpetue et tenendam tradimus, et ipsos per capucium nostrum presencialiter inuestimus de eadem, ita tamen, quod nobis et successoribus nostris predicta dimidia marca auri et alia, que de iudiciis poterunt prouenire, annis singulis persoluantur. In cuius rei testimonium et euidenciam pleniorem presentes litteras nostro sigillo fecimus communiri. Actum et datum Nise, pridie idus Julii, anno domini millesimo CCXC quinto, presentibus hiis dominis: Stephano Nisensi, Rudolfo de Czeginhals, Laurencio de Calcow, ecclesiarum rectoribus. Theodrico milite, fratre nostro. Johanne dicto Sonecro. Arnoldo et Stanislao, capellanis et notariis nostris, Jacobo de Cunczindorf et Thamaro.

Tschoppe u. Stenzl Urkundensammlung p. 426. — Grundb. des Fürstenthums Neisse aus dem XIV. Jahrhdte.

XXXIII.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Tišnovicensi jus patronatus ecclesiae S. Petri Brunnae. Datum in Modericz in die S. Michaëlis. 1295.

Codex Ms. Tišnow. in Museo Morav.

XXXIV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, concedit facultatem Sobĕhrdo de Holešow, marschalco suo, feudum in Dražowic vendendi Wenceslao, canonico Wissehradensi et fratri ejus Adam. Dto. in Olomuc. pridie Kalend. Octobris. 1295.

In nomine domini amen. Nos Theodericus, dei gracia Olomucensis episcopus, tenore presencium protestamur et notum facimus vniuersis, presentes literas inspecturis. quod cum dilectus Sobehyrdus de Holyssow,

marschalcus noster, villam Draseyowiz, que est de antiquo feudo ecclesie nostre, olim a predecessoribus nostris, de consensu nostri Olomucensis capituli, et alias canonice infeudatam, teneret a nobis, et necessitate vrgente, de consensu nostro ipsam vendere disposuisset, et in aliam transferre personam cum onere suo, videlicet seruicii consueti ex eodem feudo nobis et successoribus nostris prestandi. quod erat, vt cum vno dextrario et apparatu bellico iuxta requisitionem nostram uel successoris nostri exinde seruiretur. Tandem honorabilis vir magister Wenczlaus, plebanus in Hradez, canonicus Wissegradensis, volens pro se et fratre suo Adam. ac eius liberis, redimere feudum illud, fauorem nostrum et licenciam a nobis, et a capitulo nostro Olomucensi assensum obtinuit, et dictum feudum pro sua pecunia comparauit, sibi et fratri suo predicto, et heredibus eius masculis profuturum. Nos igitur personam eiusdem magistri Wenczlai sincero prosequentes affectu, prenotatum feudum ac villam predictam Draseyowiz cum vniuersis terminis, iuribus, et pertinenciis suis quibuslibet, sibi et fratri suo prefato et heredibus eiusdem fratris sui masculis legittime descendentibus ab eodem, de expresso consensu nostri capituli Olomucensis, concedimus et eum investiuimus more solitio de eodem. Ita tamen, quod ipse Wenczlaus uel eius frater dabit annis singulis in recognitionem bonorum ipsorum canonicis nostris Olomucensibus de manso quolibet mensuram tritici, quemadmodum infeudati ceteri dare tenentur. Et quia sibi graciam facientes, vt ipse uel frater eius, non cum dextrario, sed cum spadone seruire teneantur ex eo, hoc ex speciali fauoris beniuolentia adicimus, quod a data presencium per quadriennium sibi seu fratri suo huiusmodi debitum nobis seruicium relaxamus. Testes huius rei sunt fratres nostri. Budyzlaus decanus. Cyrus prepositus. Fridericus archidiaconus. Johannes scolasticus ecclesie nostre et ceteri canonici, qui presentes fuerunt. Item milites Woluramus de vrenspiz. Ratmyrus de vgezd. Andreas frater Sobehirdonis. Item famuli Stephanus de Jernowiz. Franko de Modriz. Johannes Saxo de Cremsyr. et alii quam plurimi fide digni. In cuius rei robur perpetuo valiturum, presentes litteras sibi dari fecimus, sigilli nostri et capituli munimine roboratas. Datum in Olomunz. Anno domini. millesimo. ducentesimo. nonagesimo quinto. Pridie kalendas Octobris.

Sig. avulsa. Ex orig. in arch. capituli Olomuc.

XXXV.

Gerhardus, archiepiscopus Moguntinus, mandat praepositis Pragensi Melnicensi decidendam litem inter monasterium Tišnovicense et episcopu Olomucensem ratione confirmandi Conradi ad ecclesiam S. Petri Bruna Dto. in castris ante Cruceberg IV. Kalendas Novembris 1295.

G.(erhardus) dei gracia sancte Maguntine Sedis Archiepiscopu sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, dilectis in Christo ... Pr gensis, et Magistro Vlrico, Melnicensis Ecclesiarum prepositis, Pr gensis dyocesis, salutem in domino. Transmissa nobis Conradus rect Ecclesie in *Benisliz* petitione monstrauit, quod licet idem Conradus uacantem *Ecclesiam sancti Petri in Brunna*, per ... Abbatissam et co uentum Sanctimonialium *de porta celi in Tuschanabicz*, ad quas ius patr natus eiusdem Ecclesie, spectare dinoscitur existentis in quasi possessio Juris presentandi Rectorem ad eamdem Ecclesiam quando uacat, sit fuisset venerabili Patri domino ... Olomucensi Episcopo legitime prese tatus, idem tamen Episcopus ipsum presentatum ad prefatam Ecclesiam a mittere recusauit, propter quemdam deuotionis seu humilitatis, nullius tam relligionis seu ordinis approbati habitum, quem idem presentatus gesta dicitur, inuestituram eiusdem Ecclesie sibi contra iusticiam denegando, pr textu quorumdam statutorum Concilii, quod nuper apud Aschaffenburg c lebrauimus domino disponente, in quo cauetur, ne relligiosi per confratr sui Ordinis, Ecclesias parrochiales officient uel capellas, quamuis ipse pr sentatus nullum Ordinem siue Regulam sit professus, propter quod ide presentatus sentiens indebite se grauatum, nostram audienciam legitim appellauit. Quocirca discretioni vestre committimus et mandamus, quatenu ad uestram presenciam euocatis qui fuerint euocandi, si est ita, reuoca in irritum, quidquid post appellationem huiusmodi inueneritis temere atten ptatum, processuri ulterius preuia ratione, si non est aliud quod ipsi pr sentato de canonicis obuiet institutis, ipsum de cura prefate Ecclesie, auct ritate Metropolitica inuestiatis, et inducentes seu induci facientes corporalem possessionem ipsius, defendatis inductum, facientes quod d creueritis per censuram Ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes quoqu qui nominati fuerint, si se gratia, odio uel timore subtraxerint, eade

censura cogatis ueritati testimonium perhibere. Contradictores et rebelles si qui fuerint censura consimili compescendo. prouiso tamen ante omnia, ut venerabilis Pater dominus Olmucensis Episcopus, per uos prius humiliter moneatur, ut prescriptum presentatum secundum ea que premittuntur de predicta Ecclesia inuestiat infra certum tempus, per vestram discretionem moderandum, cuius reuerencie taliter deferri uolumus in hac parte. Alioquin extunc procedatis in prescripto negocio secundum traditam uobis formam, facientes circa premissa quidquid potest iure fieri permittente, ne propter vmbram habitus prenotati, ubi certi ordinis uel relligionis ueritas non subsistit, iusticia retardetur. Quodsi forsan ambo hiis exsequendis interesse non potueritis, alter vestrum ea nichilominus exsequatur. Datum in Castris ante Cruceburg anno domini M. CC. XCV. IIII. Kalendas Nouembris.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo laeso.

XXXVI.

Bonifacius VIII. papa omnes libertates et immunitates monasterii Oslowanensis confirmat. Dto. Romae Nonis Decembris 1295.

Bonifacius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus ... Abbatisse et Conuentui Monasterii vallis sancte Marie in Ozla Cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis Salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecte in domino filie uestris postulacionibus grato concurrentes assensu omnes libertates et immunitates a Romanis Pontificibus predecessoribus nostris siue per priuilegia, seu alias indulgentias, uobis et Monasterio uestro, nec non libertates et exceptiones secularium exactionum a Regibus et Principibus aliisque Christi fidelibus rationabiliter uobis seu monasterio predicto indultas sicut eas iuste ac pacifice obtinetis, uobis et per uos eidem Monasterio, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere uel ei ausu

temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Petri (sic) et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Decembris. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali in archivo curiae Brun. f. O. I. n. 14.

XXXVII.

Bonifacius VIII. papa monasterio Tišnowicensi omnes libertates et immunitates confirmat. Dto. Romae Nonis Decembris 1295.

Bonifacius Episcopus, seruus seruorum dei, dilectis in Christo filiabus, abbatisse et conuentui monasterii de Porta celi, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino filie, uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a Romanis Pontificibus, predecessoribus nostris, siue per priuilegia seu alias indulgentias uobis et monasterio uestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium executionum, a regibus et principibus aliisque Christi fidelibus rationabiliter uobis seu monasterio predicto indultas, sicut eas iuste ac pacifice obtinetis, uobis et per uos eidem monasterio authoritate Apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum, Nonis Decembris, pontificatus nostri anno primo.

E codice Tišnow. in Museo Morav.

XXXVIII.

Bonifacius VIII. papa mandat scholastico ecclesiae Olomucensis, ut bona a monasterio Oslowanensi alienata revocare studeat. Dto. Romae V. Idus Decembris 1295.

Bonifacius Episcopus, seruus seruorum dei. Dilecto filio ... scholastico ecclesie Olomucensis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram peruenit, quod tam dilecte in Christo filie ... abbatissa et conuentus monasterii de Osla Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, quam ille, que in monasterio ipso precesserunt easdem, decimas, terras, domos, redditus, vineas, ortos, siluas, Grangias, Piscarias, villas, Castra, Casalia, nemora, maneria, viridaria, pascua, molendina intra iurisdictiones possessiones, et quedam alia bona ipsius monasterii, datis super hec litteris, confectis exinde publicis instrumentis, factis renunciationibus, iuramentis interpositis et penis adiectis, in grauem eiusdem monasterii lesionem nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam, vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui super hiis confirmationis litteras in forma communi, dicuntur a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest, super hoc de oportuno remedio prouidere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea, que de bonis ipsius monasterii per concessiones huiusmodi alienata inueneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, renuntiationibus, penis et confirmationibus supradictis, ad ius et proprietatem eiusdem monasterii legitime reuocare procures; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas, veritati testimonium perhibere. Prouiso, ne aliquis extra suam Ciuitatem et diocesim auctoritate presentium ad iudicium euocetur, nec procedatur in aliquo contra eum. Datum Rome apud sanctum Petrum V. Idus Decembris. Pontificatus nostri anno I.

Ex originali in archivo curiae Brunensis f. O. I. n. 13.

XXXIX.

Bonifacius VIII. papa scholastico Olomucensis ecclesiae mandat, ut bona a monasterio Tišnowicensi alienata revocare studeat. Dto. Romae V. Idus Decembris 1295.

Bonifacius episcopus, seruus seruorum dei, dilecto filio scholastico ecclesie Olomucensis salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram peruenit, quod tam dilecte in Christo filie abbatissa et conuentus monasterii de Porta celi, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, quam ille, que in monasterio ipsi precesserunt, easdem decimas, terras, domos, redditus, vineas, hortos, siluas, grangias, piscarias, villas, castra, casalia, nemora, maneria, viridaria, pascua, molendina, iura, iurisdictiones, possessiones et quedam alia bona ipsius monasterii, datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, factis renuntiationibus, iuramentis interpositis et penis adiectis, in grauem eiusdem monasterii lesionem, nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad uitam, quibusdam uero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo ad firmam uel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui super his confirmationis litteras in forma communi dicuntur a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest, super hoc de opportuno remedio prouidere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, que de bonis ipsius monasterii per concessiones huiusmodi alienata inueneris illicite uel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, renunciationibus, iuramentis, penis et confirmationibus supra dictis ad ius et proprietatem eiusdem monasterii legitime reuocare procures, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio uel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas ueritati testimonium perhibere, prouiso, ne aliquis extra suam ciuitatem et diocesim authoritate presentium ad iudicium euocetur, nec procedatur in aliquo contra eum. Datum Rome apud S. Petrum quinto Idus Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

E codice Tišnowic.

XL.

Bonifacius VIII. papa monasterio Tišnowicensi indulget, ut bona, quae sorores justo titulo contingunt, recipere et retinere valeat. Dto. Romae XVII. Kalend. Januarii 1295.

Bonifacius episcopus, seruus seruorum dei, dilectis in Christo filiabus, abbatisse et conuentui monasterii de Porta celi in Tischnowitz, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Deuotionis uestre precibus inclinati presentium vobis auctoritate concedimus, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, que liberas personas sororum vestrarum, mundi relicta vanitate ad vestrum monasterium convolantium et professionem facientium, in eodem iure successionis uel alio iusto titulo, si remansissent in seculo, contigissent, et ipse potuissent aliis libere erogare, feudalibus duntaxat exceptis, valeatis petere, recipere ac etiam retinere, sine iuris preiudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Rome apud S. Petrum, decimo septimo Calendas Januarii, pontificatus nostri anno primo.

E codice Tišnowic.

XLI.

Bernhardus, episcopus Misnensis, pro ecclesia monasterii Sarensis indulgentias elargitur. Datum Chotěboř XIII. Kal. Februarii 1296.

Bern. dei gratia Misnensis ecclesie episcopus. Vniuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem in domino. Gloriosus Deus in sanctis suis in ipsorum glorificacione gaudet, in veneratione beate Marie iocundius delectatur eo, quod ipsa utpote eius mater meruit sublimius collocari. Cupientes igitur, ut monasterium in Sare, Pragensis diocesis congruis frequentetur honoribus, nos de omnipotentis dei misericordia et

beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad dictum monasterium in honore sancte Marie constructum in festis Natiuitatis, Resurectionis et Ascensionis domini, in diebus Pentechostes, in quatuor solempnitatibus gloriose virginis Marie et in anniuersario dedicationis ipsius Monasterii in spiritu humilitatis accesserint, aut ei manus suas porrexerint adiutrices, quadraginta dies de iniuncta ipsis penitentia, dummodo consensus dyocesani accedat, misericorditer in domino relaxamus. Datum Kothebor anno domini M. CC. XCVI. XIII. Kalendas Februarii.

Ex originali, cui sigillum laesum appendet, in archivo archiepiscopali Cremsirii.

XLII.

Joannes, praepositus Wissehradensis et regni Boëmie cancellarius, profitetur, se a Chwalkone, abbate Gradicensi, circuitum Hranice titulo provisionis et beneficii ad tempora vitae suscepisse. Dto. Brunae XIII. Kal. Februarii 1296.

Joannes, dei gracia Wissiegradensis ecclesie prepositus, ad sedem apostolicam nullo medio pertinentis, regni Boemie cancellarius. Notum fieri cupimus uniuersis, et presentibus profitemur, quod de uenerabili patre, domino Chwalkone, abbate Gradicensi, et conuentu suo de superiorum suorum consensu, ac de serenissimi domini regis Boemie Marchionisque Morauie licentia et fauore, circuitum in Hranicz, qui et Abba Fcclesia nuncupatur, cum oppido, uillis, nemoribus, campis cultis et incultis, pascuis, aquis et quibuslibet iuribus et pertinentiis suis, quocunque nomine censeantur, titulo prouisionis et beneficii succepimus ad tempora uite nostre, parochialibus duntaxat ecclesiis exceptis, quarum prouisiones, dum uacare ceperint, ipsi monasterio remanebunt. Ceterum uenerabili domino nostro episcopo Olomucensi de ipsa hereditate in decimalibus denariis et pro iure pontium tenebimur respondere, aut certe ipsi predicto monasterio facultas colligendi prehabitos decimales denarios et pro iuribus pontium cum nostro nuntio de eisdem hereditatibus integra remanebit. Ad hec etiam inter nos condiximus et promisimus, quod, si deo propitio minera cuiuscunque metalli

in ipsa emerserit hereditate, in montibus uel riuulis, quocunque nomine censeantur, ipsum lucrum, quodcunque euenerit, per medium diuidemus; prefato enim monasterio media pars et nobis pars altera lucri cedet. De predicto autem circuitu Hranicz exspiratis decem annis, a dato presentium continuis, prefatis domino abbati et monasterio Gradicensi tres marcas auri, uel triginta marcas puri argenti Morauici ponderis dare et exoluere singulis annis tenebimur in festis Sanctorum Georgii et Martini, per medium diuidendo. Ad hoc etiam sepedicto abbati, monasterio eiusque conuentui ob spem retributionis diuine et etiam pretextu beneficii suscepti, nostris seruitiis, promotionibus et consiliis pro uiribus adesse uolumus et prodesse. Postquam autem nobis humanitus mori acciderit, aut si nos deo fauente per susceptionem superioris dignitatis, seu statum nostrum monachalem uel laicalem habitum assumendo, mutare contigerit: ex tunc prefatus circuitus in Hranicz cum oppido, uillis et omnibus suis attinentiis, et cum singulis meliorationibus nostris, siue in edificiis uel in muris, seu in animalibus et rebus mobilibus, et cum utilitatibus vniuersis, quocunque nomine censeantur, que nostris accreuerint laboribus et expensis, ad sepedictum monasterium Gradicense, et ad dominum abbatem eius, qui pro tempore fuerit, sine aliqua difficultate, et quoiibet impedimento cessante, redibit liberaliter et solute. In cuius susceptionis et ordinationis nostre confirmationem presentem litteram proinde confectam prefato monasterio dedimus, et eam serenissimi domini regis nostri ac nostri sigillorum munimine fecimus et procurauimus communiri. Data Brune, anno domini M. CC. LXXXXVI. XIII. Kalendas Februarii.

Ex annal. Gradic.

XLIII.

Amicabilis compositio inter episcopum Theodericum capitulumque Olomucense, atque Bawarum abbatem Břewnowensem de administratione monasterii Rayhradensis. Dto. Modřic VI. Kalend. Februarii 1296.

Theodericus, dei gracia Olomucensis episcopus, omnibus in perpetuum. Equitas rationis et approbata consuetudo requirunt, ut iurgantium

questiones, que grate pacis limite terminantur, ad cautelam presentium et memoriam posterorum redigi debeant in scripturam, ne lites dampnosas, certo fine decisas, incertitudo succedens quandoque resuscitet, quas intercedens concordia sepeliuit. Ea propter nos Theodericus, dei gracia Olomucensis episcopus, constare cupimus vniuersis, quod nuper inter nos ex una, et uenerabilem abbatem et conuentum Brewnouiensem, ordinis sancti Benedicti, Pragensis dyocesis, et monasterium Raygradense, nostre Olomucensis dyocesis, ordinis eiusdem sancti Benedicti, ex parte altera orta materia questionis pro eo, quod nos in eodem Raygradensi monasterio predicto abbati in spiritualibus et temporalibus subiecto institutionem et destitutionem et alia iura episcopalia ad legem iurisdictionis et dyocesanam spectantia, cum populum habeat, petebamus, ex quibus plurima dictus abbas nobis non deberi, ea se et predecessores suos a tempore, quo non extat memoria, possedisse et prescripsisse asserens allegabat, petens, ut ea sibi in monasterio Raygradensi pio ac paterno affectu absque contentione recognoscere dignaremur. Nos igitur eius iuri et supplicationibus rationis obtentu, pro qua summa faciat ratio, fauorabiliter annuentes, de consilio iuris peritorum ac aliorum honorabilium uirorum ipsam questionem taliter duximus de consensu et conniuentia nostri capituli decidendam, uidelicet ut ipse abbas et sui successores deinceps inquisitionem excessuum, institutionem quoque et destitutionem prepositi habeat sine nobis, nec non omnia alia iura, et omnimodam subiectionem et dispositionem dicti monasterii Raygradensis in omnibus eius facultatibus et personis, quia constat, dictum abbatem et suos predecessores easdem subiectionem et dispositionem in dicto Raygradensi monasterio hactenus habuisse. Nos autem in dicto monasterio habere debemus uisitationem, correctionem, procurationem ratione uisitationis, auxilii imponendi pro varia necessitate, contributionem secundum Lateranense concilium moderatam, iurisdictionem quoque causarum omnium ad forum ecclesiasticum spectantium, et censuram ecclesiasticam, sacramentorum omnium collationem, et altarium consecrationem, et ordinum collationem, penitentiam, reuerentiam debitam et honorem; ipse quoque abbas priorem, qui curam animarum gerere debet prepositi monachorum et plebis, nobis, ut idem prior curam eandem recipiat, presentabit, qui etiam ad synodum nostram uenire more tenebitur aliorum, ipsum quoque prepo-

situm, qui sub predicto abbate et suis successoribus curam habet gerere tantum temporalium, ac priorem et alios fratres ibidem ponet ipse abbas, quos uoluerit, et libere remouebit eosdem, quando sue conscientie, et saluti fratrum, ac utilitati monasterii uiderit expedire, cum dictum monasterium in Raygrad abbati Brewnouiensi in spiritualibus et temporalibus a longe retroactis temporibus constet esse subiectum. Visitationis autem officium secundum formam canonum cum duxerimus exercendum, si contra aliquos orta fuerit infamia, sepe dicto abbati denuntiabimus, ut super hiis sollempniter inquirat, et delinquentes puniat iuxta regularis exigentiam discipline. Notoria autem crimina, que examinatione non indigent, cnm super hiis merito notari possit abbatis negligentia, libere corrigemus, dicto abbati denuntiantes, ut eos ab officiis et amministrationibus amoueat, et debeat amouere, et de aliis ipsi monasterio non differat prouidere. Supradictis igitur contenti predictum abbatem et conuentum Brewnouiensem, et suos successores, et monasterium Raygradense in ceteris duximus absoluendos. Quod autem premissa omnia tam predicto abbati et monasterio Brewnouiensi, quam successoribus eius rata seruentur et stabilia, semperque maneant inconuulsa, nec ullius temporis euo aliquatenus immutentnr, sed perpetuum irreuocabiliter sortiantur effectum, hanc paginam ad rei memoriam sempiternam inde confectam sigilli nostri iussimus roborari. Et nos Olomucense capitulum predictam cessionem et recognitionem iurium predictorum, nec non absolutionem in ceteris dicto uenerabili uiro, domino Bawaro, abbati et monasterio suo Brewnouiensi, et successoribus suis factam in perpetuum per reuerendum patrem, dominum nostrum Theodericum, Olomucensem episcopum, ratam habemus et gratam, et consensum nostrum vnanimiter adhibemus. Et quod super hoc nullus futuris temporibus dubietatis uel calumpnie possit oriri scrupulus, hanc etiam paginam ad firmiorem rei stabilitatem sigilli nostri fecimus appensione muniri. Ego Budizlaus decanus, ego Cyrus prepositus, ego Fridericus archidiaconus, et nos ceteri Olomucensis ecclesie canonici, premissis omnibus pro nobis et nostris successoribus, canonicis Olomucensibus, uoluntarie et fauorabiliter consentimus. Actum et datum Medricz. VI. Kalendas Februarii, anno domini M. CC. LXXXXVI.

Ex autogr. arch. Břewnow. — Dobn. Mon. VI. 40.

XLIV.

Commutatio villarum Wlčetjn et Hrbow inter monasterium Oslowanense et nobilem Staniconem. Dto. VIII. Kalend. Martii 1296.

Nos Wrebicho zudarius Brvnensis et Psribcho Scirnisch tenore presencium protestamur, commutacionem inter venerabiles dominas. dominam Gudam abbatissam prepositum et conuentum in Ozla, et inter virum nobilem Staniconem, cum villis videlicet Wulschazin et Herbowe cum omnibus pertinenciis suis cultis et incultis, in nostra presencia esse factam, promittentes dictis. Abbatisse. preposito et Conuentui pro dicto Stanicone villam Herbowe contra impugnatores siue impetitores quoslibet secundum ius nobilium tueri et defendere tribus annis harum testimonio literarum. Datum anno domini M. CC. nonagesimo. VI. VIII. Kalendas Marcii.

Ex originali in archivo curiae Brun. f. O. I. n. 15.

XLV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, ecclesiam S. Petri Brunae collegiatam fieri et nominari constituit. Dto. Brunae Nonis Martii 1296.

Theodericus, dei gratia Olomucensis episcopus, omnibus hanc paginam inspecturis in perpetuum. Licet status ecclesie debitus et antiquus secundum iurisdictionem sine certa ratione uel causa debeat non immutari; quia tamen iuxta prophetam decet domum domini pulchritudo, et cultus diuini nominis augeri debet non minui, ut decore resplendeat aula dei, et crescat in gloria et honore; proinde nos predictus episcopus considerantes et perspicacius aduertentes ecclesiam sancti Petri Brune in monte nostre diocesis, que ad hec tempora simplici iure parrochialis ecclesie usa est, quamquam prepositura secundum morem terre ab omnibus diceretur, sic bonis et redditibus abundare, quod merito augeri possit numerus ministrorum eius et debeat dignitatis et collegii priuilegio decorari, ut non tantum nomine sed re et effectu collegiata et conuentualis sit et ualeat appellari, communicato consilio fratrum nostrorum Budislai decani, Ciri prepositi, Fri-

derici archidiaconi, et capituli nostri Olomucensis; tractato cum ipsis facto, et deliberatione diligenti premissa, ac ipsorum consensu super hoc accedente, in nomine domini, ad honorem et laudem eius nominis sancti, et apostolorum principis gloriosi statuimus, ordinamus iure perpetuo, ut de cetero eadem ecclesia sancti Petri, saluo per omnia iure patroni, et sine preiudicio omnium, quibus ex hac immutatione posset aliqualiter lesio irrogari, conuentualis et collegiata existat, et semper iure et honore collegii potiatur, ita ut deinceps rector eius, magister Petrus, prothonotarius regni Boemie et canonicus nostr eecclesie Olomucensis, et successor. eius, quicumque fuerit, prepositus ipsius ecclesie S. Petri sit et debeat in perpetuum appellari, et hi, qui in presenti sunt in eadem ecclesia sancti Petri duo perpetui uicarii, curam animarum habentes plebis seu parochie, videlicet Hartlinus et Theodoricus sacerdotes, sint et dicantur canonici ecclesie supradicte, et cura remaneat apud ipsos, et eisdem prebendis duabus perpetuo sit annexa, propter quam curam iidem duo canonici curati more consveto continuam residentiam apud ipsam ecclesiam absque omni excusatione facere teneantur, sicut periculum officii et beneficii desiderat euitare, ac ipsi preposito subsint et subiaceant, et prebende eorum cum uacauerint, ad collationem predicti prepositi pertineant pleno iure. Patronus autem ipsius ecclesie Sancti Petri prepositum, cum preposituram ipsam uacare contigerit, confirmandum nobis uel nostris successoribus presentabit. Ut autem predicta ordinatio collegii et dignitatis noue creationis robur obtineat perpetue firmitatis, presentes litteras fecimus fieri exinde, et sigilli nostri munimine roborari. Nos uero Olomucense capitulum predicte ordinationi et creationi collegii et dignitatis noue, facte per venerabilem patrem, dominum nostrum Theodoricum, Olomucensem episcopum, cum cordis uoto et uoluntate unanimi consentimus; et ne inposterum aliquis exinde scrupulus calumpnie oriatur, consensu adhibito sigillum capituli ecclesie nostre preseutibus appendi fecimus ad perpetuam memoriam futurorum. Actum et datum Brune, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto Nonas Martii, none indictionis.

XLVI.

Theodericus, episcopus Olomucensis, pro elemosinis ad restaurationem monasterii Rayhrad datis indulgentias elargitur. Dto. apud Modřic pridie Idus Martii. 1296.

Th. dei gratia episcopus Olomucensis ecclesie, vniuersis Christi fidelibus, ad quos presentes littere peruenerint, salutem in domino sempiternam. Quum nichil viriditatis habet ramus boni operis, nisi in radice manserit caritatis, omnes autem, vt ait apostolus, stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus siue bonum fuerit, siue malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire, et ea seminare in terris, que postmodum cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis. Caritatem deuotionis vestre hortamur, et monemus in domino flagitantes, quatenus cum ecclesia et monasterium ordinis sancti Benedicti, in honore beatorum Petri et Pauli apostolorum fundata in Raygrad: et per hostiles incursus, rapinas et incendia penitus et funditus proh dolor desolata, de propriis, que eis non suppetunt facultatibus, absque Christi fidelium nequeant restaurari iuuamine et beneficiis reformari, de bonis a deo vobis collatis ad restaurationem ecclesie, ac monasterii predictorum, pias elemosinas, et grata dignemini caritatis subsidia liberaliter erogare, recepturi pro simplo duplicia, pro mutabilibus stabilia, et pro transitoriis sempiterna. Vobis quoque archidiaconis et decanis ac vniuersis ecclesiarum rectoribus per nostram dyocesim constitutis in sancte virtute obedientie ac remissione vestrorum nichilominus iniungimus delictorum, vt predicti fratres monasterii in ecclesie nuncios, cum ad vos pro petendis fidelium accesserint elemosinis benigne suscipere, pie tractare, et efficaciter promouere curetis. Negotium ipsorum ad popolum, si opus habuerint, personaliter promouendi. Nos enim vt in eorum promotionem, et ecclesie ac monasterii supradicti deuotio fidelium feruentius accendatur de omnipotentis dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum confisi patrocinio, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad restaurationem et reformationem monasterii et ecclesie supradicte, manum porrigere curauerint adiutricem, XL. dies criminalium et centum venialium delictorum, de iniuncta eis penitentia in

domino misericorditer relaxamus presentibus post vicesimum adata minime valituris. Datum aput Modricz anno domini M. CC. LXXXX. VI. pridie ydus Martii.

Ex originali prius in archivo archiepiscopali Cremsirii nunc Rayhradii asservato.

XLVII.

Gerhardus, Moguntinus archiepiscopus, episcopum Olomucensem monet, ut Conradum a monasterio Tišnovicensi ad ecclesiam S. Petri Brunae praesentatum investiat. Dto. Moguntiae, Idus Martii 1296.

Gerhardus dei gracia Sancte Maguntine Sedis Archiepiscopus, Sacri Imperii, per Germaniam Archicancellarius, Venerabili fratri ... Episcopo Olomucensi, Salutem et sinceram in domino karitatem. Dilecte in Christo ... Abbatissa totusque Conuentus, Monasterii Sanctimonialium in *Thusnawicz*, ordinis Cysterciensis, de Porta Celi, vestre dyocesis, detulerunt ad nostram audientiam per querelam, quod licet tam ipse, quam ille, que eas in suo Monasterio precesserunt, ad Ecclesias vacantes, in quibus Juspatronatus habere noscuntur, presbyteros ydoneos sui Monasterii oblatos ac familiares, vobis, vestrisque predecessoribus, qui fuerunt pro tempore, consueuerint presentare, iidem predecessores vestri, huiusmodi presbyteros oblatos, ad earum presentationem, que in possessione, vel quasi, Juris presentandi ad easdem ecclesias sunt, et usque ad hec tempora extiterunt pacifice et quiete, oblatos ipsos siue familiares ad Ecclesias ipsas admiserint, sine contradictione qualibet et repulsa, vos tamen nunc demum Conradum dictum de Praga, Monasterii sui oblatum, presentatum vobis, ad Ecclesiam *beati Petri in Brunna*, eis vacantem, in qua Juspatronatus habere noscuntur, admittere denegastis, sumpta occasione, per statutum a nobis editum, in quo cauetur, Ne Religiose persone, per confratres sui ordinis, officient Ecclesias aut Capellas, ad earum presentationem spectantes, eundem Conradum admittere et confirmare, in predicta parrochia minime deberetis, quamuis statutum huiusmodi, ad oblatos dicti Monasterii eiusdem ordinis non existentes, sicut interpretati sumus, minime se extendat. Ad nos igitur appellationis obiectu, hoc negotio deuoluto, et super appellatione ipsa,

nostris commissoriis litteris impetratis, ac aliis, nostris ad vos litteris, petitoriis et interpretantibus hoc statutum, quod ad personam dicti oblati se minime extendebat, sicut premisimus. subsecutis, nec ipse sanctimoniales, nec presentatus earum, ex hiis nostris litteris et precibus sunt adhuc commodum aliquod consecuti, vobis, preces nostras recusantibus, quod aliquantulum nos exasperat exaudire. Reiterantes itaque preces nostras ad vos, cui deferre volumus, sine preiudicio iuris nostri et eorum, qui auctoritate nostra, propter negligentiam vestram, suas prosecuntur iusticias, quantum possimus et debemus petimus et qua possimus attentione monemus, quatenus prefatum Conradum oblatum dicti Monasterii inuestiatis, seu inuestiri mandetis, infra quindenam, post receptionem presentium litterarum, non obstante statuto predicto, quod memoratum oblatum tangere non videtur. Alioquin ex tunc, sicut propter negligentiam vestram, prefatum C. oblatum, admittimus ad Ecclesiam memoratam et auctoritate Metropolitica de cura ipsius, presentibus inuestimus, et per has litteras nostras, mittimus in possessionem ipsius Ecclesie corporalem, mandantes ipsius Ecclesie parrochialibus vniuersis, vt sibi, tanquam suo vero pastori, obedientiam et reuerentiam exhibeant ut tenentur. Nos enim in omnes contradictores, qui huiusmodi admissioni et inuestiture, per nos factis, presumpserint contraire, octo dierum monitione premissa, excommunicationis sententiam tenore presentium promulgamus. eosque facimus et mandamus ab omnibus artius euitari, decernentes irritum et inane, quitquit, contra hoc nostrum factum, a quoquo temere fuerit attemptatum. Datum Maguntie Idus Martii. Anno domini Millesimo, Ducentesimo, Nonagesimo, Sexto.

Ex originali ejusdem monasterii absque sigillo.

XLVIII.

Attestatio super sal in Bochňa monasterio Welehradensi a duce Boleslao donatum, et a Wenceslao rege confirmatum. Dto. VI. Kalendas Aprilis 1296.

Nos Segota palatinus Cracouie, et Wartislaus castellanus ibidem. Otto palatinus Sandomirie et Nicolaus castellanus ibidem. Albertus aduocatus ciuitatis Cracouie vnacum ciuibus iuratis et scabinis presentibus pro-

fitemur et fideliter protestamur, ac in noticiam futurorum peruenire volumus, quod felicis memorie dux *Boleslaus*, quondam dominus *Cracouie* et *Sandomirie* de consensu suorum baronum, pietatis intuitu ac in remedium suorum peccaminum, viris religiosis, ordinis Cisterciensis, domino abbati et conuentui in Welegrad terre Morauie, Olomucensis diocesis, de benignitate sibi innata contulit iure perpetuo sibi et suis successoribus duos bancos salis de suppa sua Cracouie singulis annis et singulis septimanis in vsus suos percipiendos. Quam itaque donacionem rite et legittime factam serenissimus domiuus noster *Wenceslaus* rex Boemie, dux Cracouie et Sandomirie, Marchioque Morauie gratam et ratam habuit et habet, suisque eam priuilegiis fauorabiliter innouando confirmauit. In cuius rei testimonium presentes nostris sigillis fecimus communiri. Acta sunt hec anno domini MCCXCVI. sexto kalendas Aprilis.

E Cod. Welehr. fol. 77.

XLIX.

Joannes, episcopus Cracoviensis, litem inter ducem Boleslaum de Fürstenberg, et episcopum Wratislaviensem ratione castrorum Waldenstein ad Zuckmantel, Bielau et Otmachau decidit. Datum Krakoviae XIII. Aprilis. 1296.

Stenzl u. Tschoppe Urkundensammlung p. 52.

L.

Bonifacius VIII. papa moniales S. Clarae a subsidiorum praestatione eximit. Dto. Anagniae Nonis Junii. 1296.

Bonifacius episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus, vniuersis abbatissis et conuentibus, monialium inclusarum, siue ordinis sancte Clare, siue sancti Damiani seu minorisse dicantur, salutem et apostolicam benedictionem. Laudabilis sacra religio, que in monasteriis uestris a uobis et aliis personis in eis degentibus sub onere uoluntarie

paupertatis iugiter colitur, sic a uobis mundane dissolutionis relegauit illecebras, ut inter alia claustralis abstinentie nexibus relegate puritate fulgeatis obseruantie regularis, et uoluntatis libitum coartantes omnino sub obedientie debito dignam et sedulam exhibeatis domino seruitutem. Hinc est, quod nos pium et congruum reputantes, ut nos illa prosequamur gratia, quam uestris necessitatibus fore prospicimus oportunam, uobis uniuersis et singulis auctoritate presentium indulgemus, ut ad prestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis uestris, que impresentiarum habetis et iustis modis prestante domino acquisieritis in futurum, uel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum et etiam legatorum et nunciorum sedis apostolice et quibuslibet talliis et collectis, ac ad exhibendum pedagia telonea et alias exactiones, quibusuis regibus principibus seu aliis personis secularibus minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus ualeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptarc presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagnie Nonis Junii, Pontificatus nostri anno secundo.

(Bulla.) Ex orig. in arch. cap. Olom. et alio in archivo monasterii S. Clarae Znoym.

LI.

Albertus de Sternberg, camerarius Olomucensis, decano Olomucensi domum suam sitam ad ecclesiam S. Magdalenae restituere promittit. Dto. VII. Idus Augusti 1296.

In nomine domini amen. Nos Albertus de (Sternberch) camerarius Olomuncensis omnibus ad quorum noticiam presens scriptum cupio fore notum, quod domum in castro olomuncensi sitam, cuius confines ex vna parte ecclesie sancte Marie Maddalene inmediate et sine quolibet intersticio sunt coniuncti, ex altera uero parte propter aliarum domorum defectum porte castri sunt uicini, ad decanatum Olomuncensis ecclesie iusto titulo videlicet ex largicione serenissimi domini Otacari felicis recordacionis quondam regis

Bohemie pertinentem, prout in priuilegiis super eo confectis oculata fide uidimus plenius contineri, de bona et libera uoluntate honorabilium virorum Budizlai decani, Cyri prepositi, Friderici archidiaconi, ac tocius capituli dicte olomuncensis ecclesie de manibus ipsorum cum magna precum instancia optinuimus et recepimus vite nostre duntaxat temporibus inhabitandam, condicionibus hiis adiectis, ut post vite nostre curricula predicta domus cum omnibus, que in eadem domo seu ipsius area in edificiis per nos adaucta fuerint uel constructa, et aliis que pro nostre remedio anime duxerimus statuenda, libere et sine omni controuersia ad ius et proprietatem ipsius decanatus dicte olomuncensis ecclesie reuertatur. In cuius rei testimonium presentes litteras, de mandato nostro scriptas, sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum et actum coram viris ydoneis Thirwardo, Ruslino, heinrico aduocato, Jacobo, ciuibus Olomuncensibus. Anno domini M. CC. XC. VI. VII. Idus Augusti.

(Sig. Sternbergicum.) Ex orig. in archivo capituli Olomuc.

LII.

Ulricus de Novo Castro promittit, se monasterium Welehradense in juribus suis, videlicet thelonei in Broda Ungarica percipiendi minime impediturum. Dto. in Novo Castro V. Idus Augusti 1296.

Nos Vlricus de nouo Castro ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus deuenire, quod nos monasterium fratrum Cisterciensium in Welehrad in iuribus sibi collatis per inclitum Ottakarum illustrissimum felicis recordacionis magnificum quondam regem Boemie, videlicet, quod nonas septimanas subintrantes pro se habere debeant, tollentes in eisdem theloneum integraliter in Broda Vngaricali opido, nobis per precellentem dominum nostrum clarissimum Wenceslaum excellentem regem Boemie ad vite nostre tempora collato, non inpedire, sed promouere volumus toto tempore vite nostre. Idcirco vniuersis nostris iudicibus, hominibus et officialibus damus districcius in mandatis, vt voluntatem nostram efficacius exequentes, ipsum eciam iure predicto non inpedire, quin ymo promouere omni diligencia debeant, sicut graciam nostram diligunt conseruare. In cuius

rei testimonium et munimen presentes nostras litteras roboratas nostris sigillis predicto monasterio conferimus ad cautelam. Actum et datum in Nouo Castro, anno domini MCCLXXXXVI., quinto ydus Augusti.

Cod. Welehr. Fol. 37.

LIII.

Guta, regina Bohemiae, confirmat monasterio Cellae S. Mariae Brunnae literas Kunegundis reginae de anno 1269. super curia in Pohořelic. Datum Brunae XIII. Kalendas Octobris 1296.

Originale in C. R. archivo Vindobon.

LIV.

Albertus de Sternberg ecclesiae in Sternberg decimas nonnullarum villarum assignat. Dto. in Sternberg XV. Kalend. Novembris 1296.

In nomine Sancte et indiuidue trinitatis amen. Cum inter varios euentus hujus seculi regiminis vniuersi, summum semper sit sapiencie, placencia, cum indefficienti perseueracione, retributori omnium bonorum operum exercere. Ipsique hec circa in sanctis suis per deuotas elemosinarum collaciones, augmentando beneficia laudis exhibere gratiam et honorem. Nos igitur Albertus de Sternberch omnibus inspecturis presentia profitemur, quod nos plenas de agris, araturarum ac curiarum nostrarum in villis Trsebschyn. Stadlce et Elhota, decimas, per ipsasque villas, excepta tamen villa trsebschyn, per pluresque has villas videlicet. Lusitz. Lipinye. Stachonis villa. Vlrici villa. Lodnicz. necnon de agris Ciuitatis Sternberch, minutas decimas, quod est de quolibet mansu vel laneo duas mensuras siliginis et auene. ecclesie beati Georgii martiris in ipsa ciuitate Sternberch dotaliter conferimus et donamus. perpetue possidendas. In cuius donacionis nostre, ad securitatis et certitudinis euidentiam ampliorem, hos per eorum nomina, testes, Dominum Bertoldum Plebanum in vgezd. Dominum Heinricum militem de Mladowitz. Wernhardum Burcrauium in Sternberch.

Dominum Ottonem. ciuem Olomucensem. fratrem eiusdem Heinussonem. Budconem famulum de elhota, necnon Petrmannum. presensque priuilegium conscribi fecimus, testimonium nostri sigilli munimine roboratum. Datum in Sternberch. Anno Domini. Milesimo. CC. Nonagesimo sexto. XV. Kalendas nouembris.

Ex originali in archivo monasterii Sternbergensis cum sigillo maxima ex parte laeso.

LV.

Petrus, episcopus Caminensis, monasterio sororum in honorem assumtionis Mariae constructo indulgentias XL dierum confert. Dto. Brunae pridie Idus Novembris 1296.

Frater Petrus, dei gracia episcopus Caminensis, vniuersis presentes litteras inspecturis, salutem in domino sempiternam. Licet hiis, de cuius munere uenit, vt sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter seruiatur, de habundantia pietatis sue merita supplicum excedens et uota bene seruientibus multo maiora tribuat, quam ualeat promereri, desiderantes tamen domino reddere populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam allectiuis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuine gracie aptieres. Cupientes igitur monasterium religiosarum sororum, in honorem assumptionis sancte Marie constructum, venerari, et a cunctis fidelibus iugiter frequentari: omnibus vere penitentibus et confessis, qui iam dictum monasterium in festis subscriptis, videlicet in festo natiuitatis Christi, resurrectionis, ascensionis, penthecostes, in utroque festo sancte crucis, in singulis festiuitatibus beate virginis Marie, Michaelis Archangeli, Beatorum Petri et Pauli atque Johannis apostolorum, beatorum Dominici, Augustini confessorum, beatorum Laurentii, Stephani, Petri, Wenceslay et Adalberti martyrum; et in dedicationibus ecclesie ipsius siue per octauas eiusdem causa donacionis accesserint, nec non qui manum ad ornamenta et reparationem eiusdem monasterii porrexerint aduitricem, de iniuncta ipsis penitentia quadraginta dies, dummodo consensus diocesani accesserit, mi-

sericorditer in domino relaxamus. Datum in Brunna, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo VI. pridie Idus Nouembris.

(Sig. laesum.) Ex originali in archivo S. J. Brunae.

LVI.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, indulget, ut in civitate Oppavia depositio mercium per triduum habeatur. Dto. Brunae XVIII. Decembris 1296.

Nos Wenzeslaus, dei gratia rex Bohemiae, dux Cracoviae et Sandomiriae, marchioque Moraviae, tenore presentium notum facimus universis tam presentibus quam futuris. Quod nos, dilectos cives nostros de Opavia prosequentes favore benivolo et gratitudine speciali, eisdem civibus nostris favorabiliter duximus concedendum, quod in ipsa civitate Opavia plumbi, vini, pannorum, salis, et aliarum omnium mercium, quarum ibidem generalem transitum statuimus, depositio, quod Niderloge vulgariter dicitur, per triduum de cetero habeatur. Ita quod quecunque merces ad ipsam civitatem venerint, extra eam, infra tres dies alias non ducantur. In cuius rei testimonium presentes literas fieri et sigillorum nostrorum munimine fecimus liberaliter communiri. Datum Brunne per manus magistri Johannis Sacensis praepositi, protonotarii nostri Moraviae. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto. XVIII. mensis Decembris. Indictionis decimae.

E cod. privil. Oppav. in Museo ibid. f. 6.

LVII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, capellae corporis Christi juxta Slawonice indulgentias concedit. Dto. in Modřic in die S. Clementis 1296.

Theodoricus, dei gratia Olomucensis episcopus, uniuersis Christi fidelibus, presentem litteram inspecturis, salutem in domino sempiternam. Licet is, de cujus munere uenit, ut sibi a fidelibus suis digne et lauda-

biliter seruiatur, de hoc abundancia pietatis sue merita supplicum extendens et uota seruientibus multa majora tribuat, quam ualeant promereri, desiderantes tamen domino reddere populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei, quasi quibusdam allecturus muneribus, indulgenciis uidelicet et remissionibus inuitamus, ut exinde diuine gracie reddat aptiores. Cupientes igitur capellam nostre diocesis, juxta Slabings sitam, in honorem corporis Domini ibidem inuenti constructam, congruis honoribus uenerari, et a cunctis fidelibus jugiter frequentari, omnibus vero penitentibus et confessis, qui jam dictam capellam causa direccionis accesserint, uel eciam manus ad eas porrexerint adjutrices, de injuncta eis penitencia quadraginta dies misericorditer in domino relaxamus, nihilominus indulgencias ad supradictam capellam datas pariter et dandas ratas habemus, et gratas, et eas authoritate nostra plenius confirmamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum in Modricz Anno domini M. CC. nonagesimo sexto in die S. Clementis.

Ex originali in archivo parochiae ibidem.

LVIII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confert Ambrosio, protonotario suo, X marcas annuas decimalium ab abbate Trebičensi solvendarum, decimam thelonei in Hradec et Freudenthal ad tempora vitae. Dto. in Olomuc. in die Innocentium 1296.

Nos Th(eodericus), dei gracia Olomucensis episcopus. Notumfacimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod nos de consilio et assensu fratrum nostrorum, Budislai decani, Ciri prepositi, Friderici archidiaconi capituli nostri Olomucensis ecclesie, magistro Ambrosio, prothonotario nostro, in retributionem seruitiorum, nobis per eum fideliter in eius officio prestitorum, X marcas argenti decimalium, ab abbate Trebicensi annis singulis soluendorum, quos prouentus idem magister redemit, de propria pecunia in XV. marcas argenti, item decimam seu prouentus decime septimane, theloneum in Grecz et in Veudenthal, nec non duos lancos in villa

nostra Wygesd apud Lappanicz cum decimis et curticula ac aliis pertinentiis suis, quos possidet in presenti, conferimus et concedimus libere et absque omni onere tenenda et percipienda ab ipso ad tempora vite sue et nostre; ita videlicet, ut idem magister ea, quamdiu vivat, percipiat, etiam post obitum nostrum superuiuens. Si autem decesserit, et nos superuixerimus, nichilominus pro tempore vite nostre legare possit pro anima uel amicis, cui placuerit; et cui legauerit, in uita nostra eius dono et nostro assensu possit et debeat ea libere percipere et habere. Verum quod idem magister XV marcas argenti pro redditu decimalium, X marcarum predictarum, sicut preinformati sumus, persoluit, volumus, ut illas XV marcas legare possit, cuicunque placuerit. Et ut hoc feodum cuicunque per nos vel successorem nostrum concessum fuerit cum onere suo, transeat ad quancunque personam, videlicet ut eadem persona, que hoc feodum siue beneficium habere debuerit, non prius possit vel debeat ipsum feudum apprehendere, nisi XV. marcas persoluerit. Sed ille in XV marcis teneat illud in obligatione et in pignore, cuicunque ipse magister deputauerit marcas illas, donec ei prefata summa fuerit persoluta. Vt autem premissa concessio nostra rata maneat, et stabilis perseueret, hanc paginam inde confectam sigilli nostri munimine iussimus roborari. Et nos Olomucense capitulum huic carte propriis nominibus subscribentes, predictam concessionem, eidem magistro Ambrosio factam, secundum formam premissam per venerabilem patrem, dominum nostrum Th. Olomucensem episcopum, utpote rationabilem et condignam, ratam habemus et gratam, et consensum nostrum vnanimiter adhibemus annotatum presentibus et expressum. Et ut super hoc futuris temporibus nullus dubietatis vel calumpnie scrupulus possit oriri, hanc paginam fecimus sigilli nostri appensione muniri. Ego Budislaus decanus, ego Cyrus prepositus, ego Fridericus archidiaconus, ego Petritus, ego Rancirus, ego Thechoncius, ego Leo, ego Henricus, archidiaconus Brecslauiensis, ego Andreas, ego Beneda, et nos ceteri Olomucensis ecclesie canonici per manum Henrici subnotarii domini nostri prenominati, huic carte subscribimus, et premissis omnibus voluntarie et fauorabiliter consentimus. Actum et datum in Olomucz. anno domini M. CC. LXXXXVI. in die Innocentium.

E Cod. Chart. I. p. 81. in archivo archiepiscop. Olomuc.

LIX.

Wenceslaus, rex Bohemiae, donat capellae S. Wenceslai in antiqua Brunna in foro piscatorio decimas in Wazanicz. Per manus magistri praepositi Zacensis, prothonotarii per Moraviam. Datum anno 1297.

Ex indice privilegiorum monasterii Aulae S. Mariae a Bonaventura Pitter congesto sub rubrica G. II. n. 31.

LX.

Gerlacus, praepositus Cunicensis, emit ab Henrico de Lichtenstein villas Poryčany et Popice pro monasterio eodem. Datum anno 1297.

Dlabač böhmiſche Abhandlungen. 1817. p. 12.

LXI.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, villam Kožušany sororibus ad S. Katharinam Olomucii confert, eisque proprium judicium in bonis suis concedit. Dto. Brunae IV. Kalend. Februarii 1297.

Nos Wenceslaus, dei gracia rex Boemie, dux Cracouie et Sandomirie, marchioque Morauie, tenore presentium notum esse volumus vniuersis, quod nos perspicaci animaduersione intra rationis nostre industriam attentius reuoluentes hoc pensauimus diligenter, quod sit deo placidum, et nostre fame non modicum generosum, vt ad religiosas personas, sub regularis habitus obseruantia degentes, munificam liberalitatis nostre dexteram extendamus. Considerata itaque deuota conditione Religiosarum sororum apud sanctam Katherinam in Olomuz, ordinis fratrum predicatorum, in rigore religionis omnipotenti domino iugiter famulando, Cosussan villam nostram, sitam apud Olomuz, eisdem sororibus cum molendinis, agris, aquis, pratis, pascuis, siluis et aliis attinentiis suis, nec non iuribus et libertatibus, quas dicta villa habuit, dum eam quondam Joannes, Wyssegradensis prepositus, tenuit et possedit, diuine retributionis intuitu liberaliter conferimus et donamus, per eas hereditario iure in perpetuum possidendam; tali

nichilominus conditione adiecta et seruata, quod dicte sorores fratribus predicatoribus in Senberch tritici octo, siliginis viginti duos modios Olomucensis mensure, vnum modium ordei, et vnum modium pise eiusdem mensure, de argento vero quinque Marcas et dimidiam pro vestibus eisdem fratribus annuatim exsoluant. Sed dum fuerit generalis collecta, tum cum ipso argento, quod dictis fratribus dari deberet, eam dicte sorores soluere tenebuntur. Preterea vt iam dicte sorores eo diuinis inuigilent cultibus, bona habita et habenda et homines ipsarum per Morauiam a iudicio et a iurisdictione camerariorum, sudariorum ac beneficiariorum omni, nec non iudicum et quorumlibet officialium Morauie presentium et futurorum eximimus, et esse volumus liberos et exemptos, uolentes et concedentes eisdem de gracia speciali, ut perpetuum iudicium in bonis suis habeant, in quo dicti homines earum et non alibi pro qualibet causa respondere de se conquerentibus teneantur. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri. Datum Brunne, per manus magistri Joannis Sacensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie. Anno domini millesimo ducentesimo, nonagesimo septimo. IIII. Kalendas Februarii. Indictione X.

E copiario saeculi XIV. ejusdem monasterii.

LXII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, Herbordo de Fullenstein, concedit facultatem in feudo patrui sui Eckerici succedendi. Dto. in Holešow III. Idus Februarii. 1297.

Nos Th., dei gracia Olomucensis episcopus, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis. Quod Herbordus, dictus Traberger de Fullenstein, noster feodalis in nostra constitutus presentia diligencius postulauit a nobis, ut, si eum sine liberis decedere contingeret, quod in feodo, quod a nostra ecclesia optinet, filii patrui eius, Eckerici, deberent succedere de nostro beneplacito et assensu. Nos autem eius precibus annuentes consensum nostrum hoc adiecto moderamine adhibemus, quod successio huiusmodi sic duntaxat robur optineat et effectum, si dictus Herbordus pro

tempore vite sue nullam contra nos aut ecclesiam nostram culpam uel offensam committat. Testes huius rei sunt: Fridericus, archidiaconus Olomucensis, frater noster. T. de fullenstein, canonicus Olomucensis. Henricus, notarius noster, plebanus in Ostrauia. Sobehrd de Holeschow, marschalcus noster. Gerlacus de Hoczenplocz, famuli nostri, et alii quam plurimi fide digni. Et nichilominus in huius rei consensus adhibiti testimonium presentes litteras exinde confectas sigilli nostri fecimus munimine roborari. Datum in Holeschow. Anno domini MCC. LXXXXVII. III. Idus Februarii.

E confirm. Joh. episcop. 1310. (cod. chart. I. p. 97.) in archivo archiepiscop. Olomuc.

LXIII.

Wenceslaus rex capellae b. Mariae virginis in Brunna prope domum Nicolai de Turren confert decimas ex pago Pozořic. Datum XXV. Martii 1297.

In collect. Horkyana. — e Cod. MS. Aulae reginae p. 588.

LXIV.

Wenceslaus rex ecclesiae b. virginis Mariae (nunc S. Cyrilli et Methudii) Brunae plenas decimas de curia in Twarožnic assignat. Datum Brunae VIII. Kalendas Aprilis 1297.

In der Regiſtratur der mähr. ſchleſ. Buchhaltung.

LXV.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, concedit civitati Brunae, ut jus montis ad VI. miliaria ad eam pertineat similiter, sicut montes in Coloniam et Časlaviam pertinent, et olim ad Iglaviam pertinebant. Dto. Brunae VIII. Kalend. Aprilis 1297.

Nos Wenceslaus, dei gratia rex Bohemie, dux Cracouie, Sandomirie, marchioque Morauie, tenore presentium notum esse volumus vniuersis

tam presentibus, quam futuris, quod nos perspicaciter aduertentes propriam deuotionem dilectorum ciuium nostrorum de Bruna, quam constanter temporibus continuis ad nos gerunt, volentesque propterea eos fauore prosequi speciali, eisdem ciuibus nostris et ipsorum posteris vniuersis concedimus fauorabiliter atque damus, ut omne ius montis si fauente domino processu temporis apud ciuitatem Brunensem ad sex milliaria ubicunque inueniatur metallum, siue sit auri, argenti, plumbi, siue aliud quodcnnque ad ipsam ciuitatem Brunensem in perpetuum debeat pertinere; similiter sicut montes in Coloniam, et in Czaslauiam pertinent et olim in Iglauiam pertinebant, dummodo aliis vicinis et multis ciuitatibus nostris non noceat, nec aliquod eis propterea praeiudicium generetur. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et sigillorum munimine fecimus communiri. Datum Brune per manus magistri Johannis Saccensis prepositi, prothonotarii nostri Morauie. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo. Octauo Kalendas Aprilis; indictione decima.

E confirm. Ladislai regis dt. Pragae 16. Nov. 1457 in curia Brunensi.

LXVI.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, donat ecclesiae in Towačow curiam in villa Oplocany et tres laneos in Wyklek. Dto. VII. Idus Aprilis. 1297.

(Wenceslaus) .. Dux Cracouie et Sandomirie Marchioque Moravie tenore presentium notum facimus tam presentibus quam futuris: quod providi viri Jacobi plebani de ..... benigniter inclinati: in Oploczan villa nostra Curiam nostram, cum pomerio et duobus laneis eidem curie attinentibus et uno laneo ibidem ..... Georgii Martyris atque sancti Stanizlai Episcopi et martyris, — nec non et sancte Barbare virginis et martyris et tres laneos in Viclek et duas Tabernas ..... molendinum quod situm est in littore Dotis — ubi prius una rota deseruiebat — habere concedimus ex integro Insuper Piscaciones — venaciones — pascua, prata, silua ..... nariis — caseis — ouis — pullis — seu auena — ob reuerenciam Dei et sanctorum prenominatorum censuantes agros illos Ecclesie de Thowat-

schow — qui Curie ..... per prefatum Jacobum et eius successores — in perpetuum libere possidendos: Ita quod Collectas quales — et quaslibet contribuciones seu exacciones regales — qu ..... in ipso Thowatschow et in Wiclek, in aliis Curiis. ad nos pertinentibus. tam hyemalium quam estiualium frugum. ac in agnellis — porcellis — pullis — caseis ..... et poledulis — diuine remuneracionis intuitu de cetero damus et dari volumus eidem Ecclesie percipiendas integre per dominum Jacobum et eius quoslibet ..... supradictis. quibus ipsam Ecclesiam amplius dotamus, quibus ab antiquo fuerat dotata perfruantur libere et quiete — Ceterum concedimus Jacobo sepedicto. ac su ..... necessitatibus suis et sue domus. sine alicuius impedimento recipiant libere. nec de hoc alicui dare munuscula teneantur. — In cuius rei testimonium p. ..... Anno domini Millesimo Ducentesimo LXXXXVII. VII. Idus Aprilis. per manus Magistri Johannis Sacensis prepositi. Anno coronacionis nostre secundo.

E confirmatione Joannis episcopi Olomucensis de anno 1393. — in interfolio Cod. Ms. (sign. II. III. 5.) in bibliotheca c. r. Universitatis Olomuc.

LXVII.

Bonifacius VIII. papa concedit Wenceslao, regi Boëmiae, facultatem, a personis ecclesiasticis celebrandae coronationis causa subsidia percipiendi. Dto. Romae II. Kalend. Aprilis 1297.

Carissimo in Christo filio Wenceslao regi Boemiae illustri. Exhibita nobis celsitudinis tuae petitio continebat, quod cum disponas in proximo coronationis tuae solennia celebrare, ac ad id inevitabiliter concurrere habeat importabilis tibi quasi fluvius expensarum, tam ecclesiasticorum quam secularium locorum et personarum tui regni subsidium est tibi ad hoc plurimum opportunum, ne in tuum et ejusdem regni dispendium te propter hoc gravia subire oporteat onera debitorum; quare nobis humiliter supplicasti, ut ad hujusmodi tua et ejusdem regni dispendia evitanda universis praelatis, ecclesiis et personis ecclesiasticis ejusdem regni cujuscumque eminentiae, conditionis, ordinis sive status impendendi tibi subventionem congruam pro hujusmodi tuis praefatae coronationis expensarum oneribus relevandis,

tibique subventionem ipsam recipiendi absque transgressione constitutionis nostrae super hoc editae licentiam concedere dignaremur, maxime cum in tali casu praedecessoribus tuis Boemiae regibus a praelatis, ecclesiis et personis ecclesiasticis dicti regni fuerit ab antiquo subventum. Profecto licet constitutionem illam ediderimus pro ecclesiastica libertate, nostrae mentis non tamen habuit intentio tibi ac aliis principibus secularibus in strictae necessitatis articulis viam subventionis excludi, quominus ipsi praelati ecclesiae ac personae sponte liberoque arbitrio de licentia nostra pro communis honoris, utilitatis et necessitatis articulis principibus ac per hoc sibi ipsis juxta suarum modum provideant facultatum. Regiis itaque supplicationibus inclinati, praesentium auctoritate concedimus, ut cum te hujusmodi tuae coronationis contigerit solennia celebrare, liceat eisdem praelatis, ecclesiis et personis ecclcsiasticis absque constitutionis nostrae praedictae, pro hujusmodi tuae coronationis subsidio expensarum subventionem congruam, prout eis seu majori parti eorum videbitur, voluntariam, liberalem et liberam non coactam absque omni concussione, exactione et executione temporali vel laicali exigendam hac vice praesenti nostra freti licentia impertiri, eamque similiter sit tibi recipiendi licite attributa facultas. Volumus autem, quod si subventionem hujusmodi praestari tibi contingat, formam et modum et quantitates etiam, ac quicquid super hoc factum exstiterit, iidem praelati et personae ecclesiasticae nobis per eorum literas seriosius intimare procurent, ut quam discrete vel indiscrete, moderate vel immoderate praemissa processerint, et si acceptationem vel moderationem exegerint clarius videamus. Te quoque ac ipsos volumus scire, quod nostrae intentionis existit, ut sine nostra iterata licentia hujusmodi subventio anualem terminum non excedat. Et ecce praelibatis praelatis ac personis ecclesiasticis consimilis super hoc nostras literas destinamus. Datum Romae apud S. Petrum, II. kalendas Aprilis anno tertio.

In e. m. scribitur venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, praepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum praelatis et eorum vices gerentibus ac ecclesiasticis personis religiosis et secularibus ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus exemtis et non exemtis Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Praemonstratensis, sanctorum Be-

nedicti et Augustini ac aliorum ordinum, nec non magistris et praeceptoribus Militiae Templi et Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani ac beatae Mariae Teotonicorum et Calatravensis per regnum Boemie constitutis. Petitio carissimi in Christo filii nostri Wenceslai regis Boemiae illustris etc. (ut in praecedenti, verbis competenter mutatis) usque annalem terminum non excedat. Dat. ut supra.

Ex autogr. regesto liter. Bonifacii VII. an. III. epist. 89. in Tabul. Vatic.

LXVIII.

Capitulum ecclesiae Olomucensis protestatur, litem inter ecclesiam Olomucensem et Wšeborium de Namĕšť super curia in Lubenic esse sopitam. Dto. in Olomuc. IX. Kalendas Maji. 1297.

Nos Budizlaus decanus. Cyrus prepositus, Fridericus archidyaconus, totumque capitulum. Olomucensis ecclesie notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod cum controuersia, que inter nobilem virum dominum Seborium de Namescz, et ecclesiam nostram Olomucensem, super quadam curia in Lubenicz, et agris ad uillam prebendalem Rathay spectantibus annis pluribus perdurauit, per formam compositionis videlicet per commutationem aliorum agrorum amicabiliter sit sopita, prout in litteris exparte prefati domini Seborii super hoc confectis plenius continetur. Ordinacionem eandem seu compositionem taliter celebratam, quemadmodum prefatus dominus S. per suas litteras apercius profitetur, ratam et firmam habentes, voto concordi ac vnanimi approbamus, promittentes bona fide nullam sibi super hiis mouere decetero questionem. In cuius rei testimonium presentes litteras de consensu omnium nostrum scriptas prefato domino Seborio ac suis heredibus damus, sigillo nostri capituli roboratas. Datum et actum in olomucz. Anno domini. M. CC. nonagesimo VII. Nono Kalendas Maii.

Ex orig. in archivo capituli Olomuc.

LXIX.

Gerardus, archiepiscopus Moguntinus, monasterio Sarensi confirmat jus patronatus ecclesiae in Blučina. Dto. Pragae Nonas Junii 1297.

Gerardus, dei gracia sacre Moguntine sedis archi-episcopus, sacri imperii per Germaniam archi-cancellarius. Deuotis in Christo abbati et conuentui monachorum in Sar, ordinis Cisterciensis, Pragensis diocesis, et prouincie Moguntine, salutem in domino. Cum a nobis petitur, quod iustum est, et uigor equitatis et ordo rationis exigit, ut id ad effectum perducere debeamus. Itaque deuotis uestris nobis porrectis petitionibus inclinati collationem iuris patronatus ecclesie parochialis in Luchans, Olomucensis diocesis, nostre prouincie, quam nobilis domina Gutta, serenissima regina Boemie, ac vnionem ecclesie memorate, quam uenerabilis in Christo frater noster, dominus Olomucensis ecclesie episcopus, uestro monasterio fecisse dicuntur, sicut prouide sunt et iuste, ratas et gratas habentes, auctoritate metropolitana sub presentium litterarum testimonio confirmamus. Datum Prage, anno millesimo ducentesimo nonagesimo septimo. Nonas Junii.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii excussit Steinbach. II. 44.

LXX.

Compositio litis inter monasterium Welehradense et civitatem Hradiště ratione pascuarum, agrorum etc. ad Chunitz (Kunowice). Dto. Idibus Junii 1297.

Ne longiturnitas dierum vetustate temporum obfuscata obliuionem pareret successoribus, mos et prouidencia veterum sic prouidit, vt quelibet res autentim peracta, certa literarum serie ac testium ydoneitate cum sigillorum robore confirmetur. Nos igitur iurati communitasque ciuium de Redisch, scire volumus quoslibet presentium inspectores, tam presentes, quam futuros, quod dominus Albertus camerarius Morau. nobis nostreque nunciauit ciuitati, necnon in foro instituit proclamari, quod ex edicto incliti domini nostri W.(enceslai) Regis Bohemie, in nostra uellet ciuitate iudicio

presidere, et nostrum ne uel nostre ciuitatis dampnum plenarie iuxta iuris formulam emendare. Post vero dies aliquot ad nostram proxima feria VI. ante diem sancti Viti martyris, vt predixerat, venit ciuitatem; inibique iudicio presidendo super iuramentum pro dicenda ueritate a nobis factum precepit, sibi nostrum ac nostre ciuitatis dampnum omnimode declarare. Nos quidem consilio inito vnanimi, predicto domino Alberto, camerario Morau. omne ciuitatis nostre dispendium declarauimus querulose: primo quod dominus Th. plebanus de Chunitz, quendam montem et pascua sub monte sita, que ad nostram spectant ciuitatem, nobis indebite derogauit. Deinde quod hii de Chunitz, qui omni iure ad nostram pertinebant iurisdictionem, priuilegia sua exemerunt pecunia, vt se a nostra ciuitate, nobis et nostre iurisdictioni abstraherent in grauamen. Post hec sue patefecimus dominationi, quod predicti Chunicenses siluam nobis communem nostris inhibuerunt ciuibus et ligna necnon carbones, qui urebantur ex eis, et pisces in communi fluuio captos, ad nostram pro denariis nostris non admiserunt ducere ciuitatem; et quod nobis et nostre ciuitati in detrimentum et grauamen in ipsorum uilla operarios locauerunt diuersos et vinum propinauerunt et medonem decoxerunt, quod primitus inhibitum ipsis erat. Hiis peractis querimoniis supradictis ipsas iure ad nostram obtinuimus iuris dictionem, ut antea perpetuo pertinere. Ipsi quoque pro derogationibus nobis nostreque ciuitati indebite illatis — inclito domino nostro W.(enceslao) regi Bohemie et domino Alberto camerario Morau. qui loco sui presedit iudicio, vnusquisque in villa residens predicta in quinquaginta talentis denariorum obligatus extitit pro emenda. Insuper sue notum fecimus dominationi querulando, quod homines domini nostri abbatis libera pascua, que nostram pleno iure respiciunt ciuitatem, in agros redigerunt et suis vsibus vsurparunt. Et quod dominus noster Abbas siluam et pascua retro castellum sita, que ad nostram multis transactis temporibus spectarunt ciuitatem, sepiri instituit et ea nobis nullis nostris meritis exigentibus uoluit derogare. Cum huiusmodi dampnum nobis indebite irrogatum non admitteremus, dominus abbas male nos tractauit, necnon prior et domini de claustro nostro nunciauerunt iudici, si nobis in hiis opem tribueret et consilium, quod ipsorum esset certus impedimento, et promotione dubius omni vice. Completis hiis et peractis omnibus querimoniis prenotatis, coram domino Alberto camerario Mo-

rau. ordine iudiciario quesiuimus de sententia, si nos in hiis, que nos et nostram respiciunt ciuitatem aliquis posset de cetero inpedire. Tunc iuris ordo inito consilio secundum suam iurisdictionem sententiam nobis dedit; quod in hiis omnibus querimoniis coram camerario promulgatis cum super nostrum hoc dixerimus iuramentum, nullus nos iure possit inposterum molestare. Insuper cellerarius claustri Welegradensis assurgens coram iudicio, de uerbo domini abbatis totiusque conuentus protulit hanc querelam, quod sibi sepem, qua siluam circumdederat, manu abstulerimus violenta. Quo audito et percepto sententiam super eo quesiuimus nobis dari, cum ipsam ad nostram per iuris formam acquisierimus pertinere vt antea ciuitatem. Rursus iuris ordo habito consilio, ut supra dictum est, sententiam nobis dedit, quod nullus suis querimoniis seu aliis occupationibus nos de cetero debeat inpedire. In huius rei memoriam et munimen hanc literam nostri sigilli munimine et sigilli ciuium de Broda necnon ciuium de Costel et testium ydoneitate fecimus roborari. Testes sunt scabini de Broda: Hainricus Cruzburg. Wartherus mercator. Berchtoldus menteler. Hartmannus. Ch. gener Tylonis. Gebhardus. Et scabini de Costel: Richerus iudex. Hainricus Wagenknecht. Adam. Hertlo de Cremsir. Hainricus theloneator de Prazow. Acta sunt hec anno domini M. CC. XC. VII. Idus Junii. Indictione X. primo concurrente.

Ex originali in tabulario civitatis Hradiště.

LXXI.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Sarensi jus patronatus ecclesiae in Blučina et partem proventuum ejusdem ecclesiae in usus monasterii coavertendas assignat. Dto. in Modřic XII. Kalend. Julii 1297.

Theodricus dei gracia Episcopus Olomucensis, vniuersis presentem litteram inspecturis, salutem in domino sempiternam. Placens deo abbatis et conuentus fratrum Monasterii de Zar, Pragensis dyocesis, ordinis Cysterciensis, Religio vbi diuine gloria Maiestatis frequencia deuote laudis attollitur et uirtutum domino pie uite studio deseruitur, nostrum excitat et

inducit affectum vt personas et locum ipsius monasterii fauore beniuolo prosequentes ea promocione debita procuremus que ad releuacionem et profectum ipsorum plurimum opportuna noscuntur. Et quamuis de iure primeuo singularum parochiarrum in vsus necessarios Ecclesie proprie cedere debeant et stipendia ministrorum. Quia tamen iuxta responsum Beati Jeronimi liberum est clericis et prelatis, monachis et spiritualibus viris, deum timentibus et colentibus decimas et oblaciones cunctaque remedia concedere et de iure suo in iudicium illorum et vsum transferre nec tam in pauperibus paupertatem quam Religionem attendere. Cum itaque ius patronatus Ecclesie in *Lucens* siue in *Blucina*, nostre dyocesis, per Serenissimos principes dominos nostros Regem et Reginam Bohemie Marchionesque Morauie, ad quos olim spectabat iam pridem in religiosos viros predictos abbatem et conuentum Monasterii de Zar prefati et in ipsum monasterium rite et racionabiliter iusto donacionis tytulo sit translatum idemque monasterium multarum necessitatum et defectuum incommodis urgeatur, vtpote cum ei pro tanto collegio conpetenter non suppetant facultates. Nos pio conpassionis affectu volentes dicti monasterii inopiam quibus modis possumus releuare, de voluntate et consilio capituli nostri Olomucensis, accedente nichilominus consensu et precum instancia predictorum principum Regis et Regine Bohemie quorum interesse poterat in hac parte, interueniente etiam sollempni tractatu qui in talibus desiderari consueuit, predictam parochialem ecclesiam in Lucens siue Blucina cum attinentiis vniuersis, ymo pocius certam partem et porcionem prouentuum et decimarum eiusdem parochialis ecclesie infra scriptam et distinctam eidem abbati et conuentui ac per eos monasterio suo in perpetuos vsus prebendarum suarum donauimus et donamus, concessimus et concedimus tradidimus et tradimus tenendam et pacifice possidendam. Hanc insuper condicionem in ipsa donacione nostra adicimus vt ex nunc cum eadem parrochia vacet ad presens, uel cum in posterum eam uacare contigerit abbas et conuentus predicti nobis deinceps et successoribus nostris ad eam sacerdotem ydoneum clericum videlicet secularem instituendum ibidem pro vicario perpetuo representent. Praeterea ut de cetero nulla inter ipsos abbatem et conuentum ac institutum vicarium lis aut contencio de suis porcionibus oriatur, ipsius monasterii porcionem et partem vicarii distinctas a nobis racionabiliter et diuisas presen-

tibus duximus inserendas sub hoc modo et forma. Abbas et conuentus eiusdem monasterii in Sar debent habere curiam dotalem et vnum ortum olerum. Item debent habere dimidiam decimam vini. Item decimas maiores plenas de quadraginta laneis. vicarius autem reliquam partem bonorum ac prouentuum eiusdem ecclesie in Lucens habebit, videlicet cottidianum questum, dimidiam decimam vini. Item decimas maiores plenas de agris montanis. Item decimas omnes minutas. Insuper duos laneos et nouem curticulas dotales pleno iure. Insuper molendinum dotale, quod soluit quinque fertones. Ad hec abbas et conuentus predicti in Zar ipsi vicario debent redimere infra hinc et proximum festum Pasche purchret vnius lanei dotalis pro curia informanda etsi possessor eiusdem lanei ipsum purchreht nimis carum exhiberet, tum alium equiualentem laneum et purchreht in eadem villa rediment et acquirent per concambium dando laneum dotalem pro illo qui deinceps dotalis erit et a quolibet alio dominio liberatus. Ceterum si area hujusmodi dotalis lanei siue alterius per concambium acquisiti remota fuerit ab ecclesia pro curia vicario instruenda, tunc ipse vicarius per se ipsum redimet duas dotales areas seu purchreht earum et pro se curiam informabit. Ceterum abbas et conuentus prefati de parte porcionis sue ipsi vicario in subsidium annuatim debent persoluere et prestare. unum modium magnum siliginis, alium tritici et duos auene. Vicarius autem hospitalitatem seruabit, et iura Episcopalia archidiaconalia et alia quecumque persoluet. In cuius rei euidens testimonium et debitam firmitatem presentes exinde confectas nostro et capituli nostri sigillis fecimus communiri. Datum in modrich, Anno domini millesimo CC. nonagesimo septimo, XII. Kalendas Julii.

Ex originali dupplici ejusdem monasterii cum sigillis optime conservatis. Excussum Steinbach. II. 45.

LXXII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Morariae, cedit monasterio Tisnowicensi jus patronatus ecclesiae S. Petri Brunae. Dto. in Pyrn. XI. Kalend. Augusti 1297.

'Nos Wencezlaus dei gracia Rex Boemie, Dux Cracouie et Sandomerie, Marchioque Morauie, harum serie notum esse volumus vniuersis tam presentibus quam futuris quod cum nos olim ... Abbatissam et Conuentum Monasterii Monialium *Porte celi*, siue in *Tussnowicz*, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, super iure Patronatus Ecclesie Sancti Petri Brunnensis, coram iudicibus a venerabili Theodorico Olomucensi Episcopo delegatis, traxissemus in causam, et fuisset in ea coram eis aliquamdiu litigatum, licet de iure nostro non diffideremus, tamen principaliter propter deum, et anime nostre salutem, necnon ad supplicacionem dilecti Prothonotarii et fidelis nostri Magistri Petri eiusdem Ecclesie Sancti Petri Prepositi, tenore presencium libere cedimus, refutamus, quietamus, renunciamus, et donamus liberaliter eisdem Abbatisse et Conuentui ius Patronatus ipsius, quod nobis in predicta Ecclesia competit seu competere uidebatur. volentes, ut de cetero Abbatissa et Conuentus predicti, predictum ius Patronatus Ecclesie memorate, sine nostra et heredum nostrorum inquietatione seu molestatione, in perpetuum teneant ac possideant pacifice et quiete. Promittimus etiam cessionem, refutationem, quietationem, renunciacionem et donationem predictas, ratas semper et firmas tenere ac seruare, et contra eas aliquo tempore de iure uel de facto quomodolibet non uenire, petentes cessionem, refutationem, quietationem, renunciationem et donacionem predictas per antedictum Episcopum auctoritate sua ordinaria confirmari, presencium, quas nostrorum sigillorum munimine roboratas predictis Abbatisse et Conuentui dedimus, testimonio litterarum. Datum in Pyrn, per manus venerabilis Petri Episcopi Basiliensis, prepositi Wissegradensis, Regni Boemie Cancellarii, Principis et Consilarii nostri dilecti, anno domini Millesimo. Ducentesimo. Nonagesimo Septimo. XI. Kal. Augusti. Decime Indictionis. Regni nostri anno primo.

Ex originali cum sigillo laeso in archivo ejusdem monasterii.

LXXIII.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, compositionem et conventionem suam cum Meškone, duce Těšjnensi, de metis Poloniae et Moraviae i. e. ducatus Těšjnensis, mediante Boleslao, duce Opoliensi, factam protestatur. Dto. in Ostravia IV. Non. Augusti 1297.

Vniuersis presentes litteras inspecturis. Theodericus dei gratia Olomucensis episcopus, sempiternam in domino charitatem. Eqvitas rationis et approbata consuetudo requirunt, vt iurgancium questiones, que grate pacis limite terminantur, ad cautelam presencium et noticiam posterorum redigi debeant in scripturam, ne lites dampnosas certo fine decisas, incertitudo succedens quandoque resuscitet, quas intercedens concordia sepeliuit. Proinde nos Theodericus, dei gratia Olomucensis episcopus, vestre vniuersitati facimus manifestum, quod orta iam dudum inter nos ex vna parte, et inter illustrem dominum Meskonem, ducem Tessynensem, materia questionis, ex graui discordia suscitata, super metis et terminis apud Ostrauiam, in finibus bonorum episcopatus nostri, et ducatus Tessynensis pro eo, qvod fluuius idem Ostrauia, qui deberet metas Polonie et Morauie distinguere, non perpetuo cursu per vnam viam ducitur, sed fluctuans aliquando, antiquum locum sui transitus deserens, inuenit nouum cursum, et aliquociens agros, campos, prata vel rubos, aut siluas spectantes in Morauiam uel Poloniam derelicto antiquo meatu et transitu circumambit, ita qvod frequenter ex hoc non solum prouinciarum sed et possessionum termini confunduntur, et magne porciones terre cum dampnoso preiudicio dominorum accedunt alteri, et perduntur priori, et possessionis commodum alternatur. Volentes itaque, vt super hiis decetero, inter nos et prefatum ducem cuiuslibet discordie materia precidatur. cum predicto duce, de communi beneplacito et vnanimi voluntate, mediante quoque illustri duce domino Bolyzlao Oppulyensi, germano ipsius domini Thessynensis, composuimus et conuenimus concordantes amicabiliter, et pariter ordinantes, vt ab hac die in antea inter nos et ipsum fines episcopatus nostri, et ducatus sui hoc modo distinquantur videlicet, qvod ab aqua Odra, sub Landek fluente, et vbi Ostrauia influit in ipsam Odram incipiendo, et ascendendo superius usque

ad metas Vngarie, is sit limes et meta bonorum nostrorum et suorum, vbicunque ipse fluuius Ostrauia nunc decurrit, et si membratim alicubi est diuisus, vbi nunc maior aqua, siue alueus cursum habet. Et ne in posterum ipso fluuio nouum inueniente transitum, huiusmodi limitis distincio deleatur. uel in errorem, aut obliuionem tradatur, fecimus fieri aggeres, cumulos, siue struges, per totum ipsum fluuium Ostrauiam ab Odra incipiendo, ubi influit per ascensum, vsque ad metas Vngarie procedendo, ita videlicet, quod in littore uersus Poloniam, ab Odra sursum, per Ostrauiam ascendendo, ipse dominus dux Tessynensis cumulos suos poni faciat, et nos ex opposito in littore uersus Morauiam, nostros similiter per ascensum cumulos faciemus, sic quoque, vt deinceps, quidquid ab illo littore uersus Poloniam in pratis, agris, vel siluis, aut qualicunque terre spacio adiacet, id pertineat ad ducatum. Et e contrario, quidquid a parte nostra uersus Morauiam nostro littori adiacet, de terre spacio qualicunque, id ad episcopatum nostrum et non ducatum similiter pertinebit. Et si ipse fluuius Ostrauia inposterum littora moderna ruperit, et relicto presenti meatu, per alium locum cursum inuenerit, agros, prata, uel arbusta, seu nemora, a parte Polonie uel Morauie auellendo, uel quomodolibet rescindendo, quod semper non ad fluxum eius, sed ad cumulorum et metarum huiusmodi positionem terminorum distinctio denotetur, nec propter hoc possessori possessionis commodum amittatur. Ceterum illud exceptum est communiter et expressum, quod in Grabow, et in Pazkow, et illic vbique contra bona Barutonis, quia ex parte altera fluuii Ostrauie uersus Poloniam quidam agri episcopatus nostri iacent et silue, qui quondam ab ista parte Morauie iacebant, cum dictus fluuius plus accedens Polonie decurrebat priori meatu et loco, ac dictos agros et siluas a parte littoris uersus Morauiam relinquebat, quod dicti agri et silua episcopatui nostro salui remaneant, sicut et nunc possidentur a nobis, et possessi sunt a predecessoribus nostris a multis temporibus retroactis. Et ibi dicti cumuli siue struges, non per moderna littora eiusdem fluuii nunc currentis, sed per terram iuxta fines agrorum et siluarum dictorum ad nos spectancium, vbi eciam adhuc antiqua apparent littora, iterum usque in decursum fluuii, agris predictis et silua inclusis. taliter construentur. Consensimus eciam ordinantes et vtrinque equaliter acceptantes, vt ripa siue litus dicti fluuii a parte Morauie inter bona

episcopalia et ducalia semper et vbique ad nos pertineat, et alia ripa siue litus uersus Poloniam pertineat ad ducatum. Et vsus fluuii et piscationes absque alterna inpeditione qualibet sint communes, qualitercumque meatus fluuii varietur, ut mete per aggeres sint distincte. Vt autem hec ordinatio et compositio et terminorum distinctio inter nos et ducem predictum et successores eius perpetuo perseueret, ipsam nostro et capituli nostri sigillis in signum consensus prouidimus roborandam. Testes eciam huius rei sunt domini Olomucenses. Fridericus archidiaconus Olomucensis. Magister Ambrosius archidiaconus Prerouiensis. et Andreas canonici Olomucenses. et milites nostri. Borsutha de Ceniz. Nycolaus de Kelzc. Lupus de Nascedl. Herrmannus de Lobensteyn. Syfridus de Engelsperc. Gotfridus de Gebynstete, et fideles uostri comites de Vriburch, Bludo et Henomannus, et alii quam plurimi fide digni. Datum in Ostrauia anno domini M. CC. nonagesimo septimo. IIII. Nonas Augusti.

Ex orig. cum duobus sigillis integris in archivo archiepiscopali Cremsiriens.

LXXIV.

Měško, dux Těšjnensis, compositionem et conventionem suam cum Theoderico, episcopo Olomucensi, de metis Poloniae et Moraviae i. e. ducatus Těšjnensis mediante Boleslao, duce Opoliensi, factam protestatur. Dto. in Ostravia IV. Non. Augusti 1297.

In nomine domini amen. Equitas rationis et approbata consuetudo requirunt, vt iurgantium questiones, que grate pacis limite terminantur, ad cautelam presencium et notitiam posterorum redigi debeant in scripturam, ne lites dampnosas certo fine decisas, incertitudo succedens quandoque resuscitet, quas intercedens concordia sepeliuit. Proinde nos Mesco, dei gracia dux Tessinensis et dominus Oswencinensis, vniuersis ad quos presens scriptum peruenerit facimus manifestum, Quod orta iam dudum inter nos ex vna parte et inter venerabilem in Christo patrem et dominum Theodericum, dei gratia episcopum Olomucensem, materia questionis et graui discordia suscitata, super metis et terminis apud Ostrauiam in finibus bonorum ducatus nostri et episcopatus Olomucensis pro eo, quod fluuius idem

Ostrauia, qui deberet metas Polonie et Morauie distinguere, non perpetuo cursu per vnam viam ducitur, sed fluctuans aliquando antiquum locum sui transitus deserens, invenit nouum cursum, et aliquociens agros, campos, prata vel rubos aut siluas spectantes in Poloniam vel Morauiam derelicto antiquo meatu et transitu circumambit. Volentes itaque, vt super hiis decetero inter nos et prefatum dominum episcopum Olomucensem cuiuslibet discordie materia precidatur, cum predicto domino episcopo de communi beneplacito et vnanimi voluntate mediante quoque illustri duce fratre nostro Bolezlao Opoliensi, composuimus et conuenimus concordantes amicabiliter et pariter ordinantes, vt ab hac die in antea inter nos et ipsum fines ducatus nostri et episcopatus sui, hoc modo distinguantur, videlicet quod ab aqua Odra sub Landek fluente, et vbi Ostrauia influit in ipsam Odram incipiendo, et ascendendo superius vsque ad metas vngarie, is sit limes et meta bonorum nostrorum et suorum vbicunque ipse fluuius Ostrauia nunc decurrit, et si membratim alicubi est diuisus, vbi nunc maior aqua, siue alueus cursum habet. Et ne in posterum ipso fluuio nouum inueniente transitum huiusmodi limitibus distincio deleatur vel in errorem aut obliuionem tradatur fecimus fieri aggeres, cumulos siue struges, per totum ipsum fluuium Ostrauiam, a Odra incipiendo vbi influit per ascensum vsque ad metas Vngarie protendendo. Ita videlicet quod in littore versus Morauiam ab Odra sursum per Ostrauiam ascendendo, ipse dominus episcopus Olomucensis cumulos suos poni faciat, et nos ex opposito in littore versus Poloniam nostros similiter per ascensum cumulos faciemus. Sic quoque, vt deinceps quidquid ab illo littore versus Morauiam in pratis, agris, vel siluis aut qualicunque terre spacio adiacet, id ad episcopatum debet pertinere. Et e contrario, quidquid a parte nostra versus Poloniam nostro littori adiacet de terre spacio qualicunque, id ad ducatum nostrum similiter pertinebit. Et si ipse fluuius Ostrauia in posterum littora moderna ruperit, et relicto presenti meatu per alium locum cursum inuenerit, agros, prata, vel arbusta seu nemora a parte Morauie vel Polonie auellendo, vel quomodolibet rescindendo, quod semper non ad fluxum eius sed ad cumulorum et metarum huiusmodi posicionem terminorum distinctio denotetur. Nec propter hoc possessori possessionis comodum amittatur. Ceterum illud exceptum est communiter et expressum, quod in Grabow et in Pazkow et

illic vbique contra bona Barutonis, quia ex parte vna fluuii, videlicet Ostrauie versus Poloniam, quidam agri episcopatus Olomucensis iacent et silue, qui quondam ab illa parte Morauie iacebant. Cum dictus fluuius plus accedens Polonie decurrebat priori meatu et loco, ac dictos agros et siluas a parte littoris versus Morauiam relinquebat, quod dicti agri et silua episcopatui Olomucensi salui pacifice remanebunt, et ibi dicti cumuli siue struges, non per moderna littora eiusdem fluuii nunc currentis, sed per terram iuxta fines agrorum et siluarum dictorum ad eundem dominum episcopum spectantium, vbi adhuc antiqua apparent littora. Iterum vsque in decursum fluuii agris predictis et silua inclusis taliter construentur. Consensimus eciam ordinantes et vtrinque equaliter acceptantes, vt ripa siue littus, a parte Polonie inter bona ducalia et episcopalia semper et vbique ad nos pertineat, et alia ripa siue littus versus Morauiam ad episcopatum debet similiter pertinere. Vsus vero fluuii et piscationes absque alterna inpeditione qualibet sint communes, qualitercunque meatus fluuii varietur vel mete per aggeres sint destincte. Vt autem hec ordinacio et composicio, ac terminorum distinctio inter nos et venerabilem patrem dominum episcopum Olomucensem ac successores eius perpetuo perseueret, ipsam nostre ac fratris nostri Bolconis, ducis Opoliensis sigillis, in signum consensus prouidimus roborandam. Presentibus testibus, qui aderant infra scriptis, comite Adalberto subcamerario Tessinensi, comite Nicholao castellano Oswentinensi, comite Johanne castellano Tessinensi; comite Hermanno dicto Speher, castellano Ostrauiensi, comite Swessone dapifero nostro, comite Jascone dicto de Corniz, comite Wlodzimiro dicto Kacza subiudice curie nostre, comite Borcone iudice curie principis Opoliensis, comite Henrico, dicto Miculez, comite Bludone dicto de Hycin. Andrea dicto Brus. Sobcone dicto Strela, et Borsuta domicellis ducis Opoliensis et aliis quam multis. Actum et datum in Ostrauia anno domini M. CC. XC. septimo. IIII. Nonas Augusti.

Ex orig. cum duobus sigillis integris in archivo archiepiscopali Cremsir.

LXXV.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, confirmat Nicolao de Schaumburg feudum in Brunow, quod ex donata sibi a Brunone silva locaverat. Dto. in Kelč, XV. Kalend. Octobris 1297.

Nos Theodoricus, dei gratia Olomucensis episcopus, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis tam presentibus, quam futuris, quod nos a domino Nicolao de Schonwenburg, fideli pincerna nostro, et etiam ab aliis nostris fidelibus percepimus veridica relatione, quorum uerbis bene credere poteramus, quod olim dominus Bruno, predecessor noster, felicis recordationis episcopus Olomucensis, ipsi Nicolao pincerne nostro predicto de Schonwenburg et heredibus suis dederat et commiserat ad locandum et plantandum uillam Brunnow et tantum de silua et de nemore circa Brunnow, quod CXX. laneos siue mansos locare posset commode et plantare; et nos sibi addidimus de gratia speciali de metis Wrsonis de Mezersicz totam siluam usque ad fluuium Bobirs, ab vna etiam parte contingentem metas Jursiconis de Cyechei et Marsiconis de Wychsz seu de Wyrs usque ad fluuium Bozam et heredibus eiusdem. Forma autem locandi talis esse debet, quod, quando Nicolaus vel heres eiusdem, illam totalem siluam plantabunt et locabunt, etiam censualia facient illa bona circa Brunnow et in illa totali silua, quod tunc medietas illorum bonorum ad nos et successores nostros episcopos iure dominii et proprietatis, et per consequens ad ecclesiam Olomucensem, et alia medietas illorum bonorum ad Nicolaum de Schonwenburg et heredes ejus debet et debebit iure feodali perpetue pertinere. Ad iudicium uero totius hereditatis iam dicte semper debebit sextus laneus tam de parte nostra episcopali, quam etiam de parte prefati Nicolai et heredum eius spectare, quod uidelicet judicium propter labores locationis et inpensionis ad plantandum solummodo ad Nicolaum et heredes suos, et non ad successores episcopos pertinebit. Et quia Nicolaus sepedictus litteras locationis hujusmodi domini Brunonis, predecessoris nostri, sibi datas et traditas ab eodem perdiderat in Castro Schonwenburg, quando fuerit acquisitum, nos gratiam, sibi et heredibus suis per predecessorem nostrum factam, nolentes aliqualiter immutare, ymmo potius in omnibus

augmentare, emendare et emendatam fideliter per nostras litteras roborare, ipsam eandem locationem et feodum per antecessorem nostrum fauorabiliter donatum eisdem, et per nos augmentatum, per nostras easdem literas roboramus, ratificamus Nicolao et heredibus suis masculis, ac perpetuo confirmamus. Propterea concedimus, sicut predecessor noster eidem Nicolao comiserat, ut ecclesias parochiales tam in Brunnow quam alibi, ubi locande congruo uidebuntur, locare possit et debeat, et quamlibet cum centum laneis limitare. Ad quos etiam idem Nicolaus et ejus heredes sacerdotes ydoneos presentabunt. Insuper uolumus et concedimus eisdem, ut, quantamcunque libertatem dabunt hominibus recipientibus se in bonis predictis, et quantamcunque siue brevem siue longam, nullus successorum nostrorum debet immutare, sed inuiolabiliter obseruare. In cuius rei testimonium et robur perpetue firmitatis, sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum in Kelcz anno domini MCCXCVII. XV. Kalendas Octobris.

E Cod. Chart. I. p. 83. in archivo archiepiscop. Olomuc.

LXXVI.

Vlricus de Nova Domo curiam juxta villam suam Rudgerslag, quae Nova curia debet nuncupari, dedit praesente fratre Ekkone, magistro ordinis templi per Boëmiam et Moraviam, ipsius ordini pleno jure. Dto. in Nova domo V. Kalendas Octobris 1297.

Nos Vlricus de Nova Domo notum esse cupimus tam posteris quam modernis presentem litteram inspecturis, quod devotionem, quam piam fraternitatem ordinis templi ad nos habere experimento cognovimus, affectu sincere Karitatis acceptantes, ac eidem devotioni ordinis vicissitudinem rependere cupientes, de consensu et benevolentia domini nostri Wentzezlay, incliti Regis Bohemie, nec non nostrorum fidelium in anime nostre ac animarum progenitorum nostrorum heredumque nobis succedentium remedium salutare quandam curiam, iuxta villam nostram Rudgerslag sitam, que a nostra impositione sibi nominis deinceps debet Nova curia nuncupari, cum uniuersis attinentiis, quemadmodum metas sive terminos ipsius curie presente fratre Ekkone, magistro ordinis templi per Bohemiam et Moraviam signis visibilibus positis propria in persona demonstrando duximus statuen-

dos, dicto ordini ad culta colenda, silvatica extirpanda, prout commodo et honori ordinis expedire videbitur, pleno iure dedimus et donamus proprietatis nomine perpetuo possidendam, nihil iuris in ipsa curia nobis ac nostris heredibus reservantes. Ut igitur hec donatio nostra supradicto ordini firma in perpetuum perseveret, nec ab aliquo successorum nostrorum cassari valeat in futuro, presens instrumentum cum subiunctione testium, qui donationi interfuerunt, scribi volumus et sigilli nostri munimine roborari. Testes sunt dominus Herimannus plebanus de Rudgerslag, dominus Bransod, frater Zdizlaus ordinis domus teutunice, Chunradus dictus Pulz, Gotfridus civis, Prybizlaus procurator, Ortlibus civis, Rinoldus, Henricus dictus Dornich, Hartwicus notarius, Vlricus dictus Anfora. Otto dictus Vuchs. Datum in Nova Domo Anno Domini M. CC. XCVII. V. Kalendas Octobris.

Originale in archivo Melitens. Pragae. — Pelzel in den böhm. Abhandlungen 1798.

LXXVII.

Protiwa de Daubrawic vendit et legat bona sua super aqua Beyx in Moravia pro CCL. marcis fratri Ekkoni, magistro militiae templi per Boëmiam et Moraviam ac ordini ipsius. Dto. Brunae, pridie Kalendas Octobris 1297.

In nomine domini amen. Protheba, miles dictus de Dobrauyz, omnibus presentem paginam inspecturis, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Que geruntur in tempore, ne lapsu temporis evanescant, humana prudentia, rerum exitus considerans, inolevit vacillanti negotio firmitatis remedio subvenire, et temporaliter habita redivivo personarum ac scripturae testimonio perennare. Noverint igitur universi, ad quos presentes pervenerint, quod ego meam hereditatem, in Marchionatu Moravie regni Bohemie sitam super utrumque litus aque dicte Beyx, emi rite et iuste erga viros idoneos et legales Scheborium de Auverschitz, Grislaum filium Wycnardi, Herbordum de Nisamylys, Matheum de Gyranowys, Nicolaum de Wezzel, et eandem annis pluribus pacifice tenui et possedi. Ceterarum deo volente ac Domino meo W. serenissimo rege Bohemie annuente de

consilio discretorum vendidi partem minorem pro ducentis et quinquaginta marcis argenti, totam vero partem residuam hereditatis predicte legavi in anime mee remedium et salutem viro discreto fratri Ekkoni, magistro militie templi totius Bohemie et Moravie, ac ordini ipsius totam dictam hereditatem ex integro cum omnibus suis gadibus, silvis, pascuis, aquis, piscaturis, agris, cultis pariter et incultis pleno iure hereditario perpetuo possidendam: redendo nihilominus dictum fratrem et ordinem ab impetitionibus et impedimentis quibuslibet, que poterunt emergere ratione venditionis et legationis hereditatis predicte salvum penitus et indempnem. In cuins rei certitudinem feci presentem litteram meo et subscriptorum virorum sigillis firmiter communiri. Datum et actum Brunnae apud monasterium sancti Petri in provinciali iudicio presentibus: domino Alberto camerario Moravie, Milota de Dydyz, Hartmano de Hohlenstein, Zdislao de Sternberch, Unschone de Sconnewalde, Philippo de Bernstein, Genzone de Nasmaritz, Ulrico de Bosca nobilibus, Schotone de Wisalis, Brunnensi, Alberto de Sternberch Olomocensi, Sobereo Prasoviensi camerariis, Pravyco Brunnensi, Prsipcone Olomocensi, Wellislao Prasoviensi Zudariis, Nicolao Brunnensi, Georio Olomocensi, Fridelone Prasoviensi provincialibus iudicibus, et aliis pluribus fide dignis. Anno domini M. CC. XC. VII. pridie Kalendas Octobris. Indictione X. Coronationis domini W. incliti regis Bohemie anno I.

Origin. in arckivo Melitens. Pragae. — Pelzel in den böhm. Abhandlungen.

LXXVIII.

Yngramus de Lapide, dictus de Pernstein, ecclesiae in Bystřice plenas decimas in Ždanice, Dětochow et Pisečna confert. Dto. in Pernstein III. Idus Novembris 1297.

Ymgramus de Lapide, dictus de Perenstayn, plenas de agris araturarum in uillis Zthenicz, Dyetochowe et Pyseczne minutas decimas ecclesie in Bystrice, necnon de agris oppidi ibidem dotalice confert et donat ... Testes Philippus frater Ymgrami, Tasso de Tassoue. Bohussius filius Demetrii de Buccoue in Mitrow . Jencho de Cryzans . dt. in

Pernstayn anno dominice incarnationis MCCLXXXX. VII. III. Idus Nouembris.

E copia in archiv. civit. Bystric.

LXXIX.

Theodericus, episcopus Olomucensis, profitetur, villam Parfus (Barfuss) et decimam de Curim (Kořim) pertinere ad monasterium Tišnowicense, et ab eodem solummodo Petro praeposito ecclesiae S. Petri Brunae ad tempora vitae esse collatas. Dto. in Modřic VII. Idus Januarii 1298.

Theodericus, dei gratia Olomucensis Episcopus. Religiosis ac deo amabilibus dominabus G. Abbatisse et Conuentui, Sanctimonialium in *Porta Celi.* quod *Tuschnowiz* dicitur. nostre dyocesis. salutem in domino. Qvoniam alius est ordo legitimus, et alius accidentalis euentus. ne quid ex certa causa, et speciali ratione, vel qualitate temporis statuitur, in exemplum trahatur, vel ius absorbeat alienum. dignum est, vt cum protestatione debita et cautela, noue institutionis prouisio distinquatur. Proinde itaque licet uos diebus istis Ecclesiam *sancti Petri in monte Brunnensi*, in qua presentationem, et ius patronatus legitime obtinetis. propter negligentiam vestram, quia ad eam infra sex menses, distulistis Rectorem ydoneum presentare. iure ad nos deuoluto, Magistro Petro, nunc Preposito dicte Ecclesie sancti Petri. duxerimus conferendam. et eam Collegiatam fecerimus, vestro per omnia iure saluo. et licet portionem de bonis eiusdem Ecclesie sancti Petri, a nostris predecessoribus, vobis et vestris vsibus deputatam. videlicet villam in *Parfus.* et decimam in *Cvrin.* predicto Magistro Petro ad vitam eius pro aliis bonis duxeritis conferendam. quia tamen metuitis. ne ex huiusmodi factis vobis et Monasterio vestro debeat in posterum preiudicium generari. Nos in hac parte pusillanimitati et fragilitati sexus vestri. paterno conpatientes affectu, ac vobis benignitate solita prouidentes, protestamur tenore presentium et profitemur expresse. ius patronatus sepedicte Ecclesie. nec non portionem predictam de bonis eius, scilicet villam Parfus. et decimam in Cvrin. vestris et Monasterii vestri vsibus, sicut

premisimus deputatam. ad vos et vestrum Monasterium dumtaxat legitime pertinere. Datum in Modriz. Anno domini M. CC. Nonagesimo, VIII. VII. Idus Januarii. Indictione XI.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo integro.

LXXX.

Wenceslaus rex — civitati Freudenthal immunitatem concedit per duos annos ob incendii devastationem. Datum anno 1298.

E cancellaria regum Boh. 1253—1305. in archivo C. R. Vindobonensi.

LXXXI.

Sifridus de Neidekke a patrueli suo Vlrico de Bozkowic villam Milowic apud Eisgrub emit. Datum anno 1298.

Horky im Brünner Wochenblatt vom J. 1825. S. 195.

LXXXII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, vidimat literas Roberti, episcopi Olomucensis, quibus fundationem monasterii S. Crucis in Dubrawnik confirmaverat. Dto. in Modřic XV. Kalend. Februarii. 1298.

Theodericus dei gracia Olomucensis Episcopus. Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. Cvm a nobis petitur quod iustum est et vigor iuris et ordo postulat rationis, vt per Officii nostri sollicitudinem, ad debitum perducatur effectum. Quapropter vniuersitati vestre facimus manifestum, quod Nos Priuilegium dominarum de Dubranik, per quondam Robertum felicis memorie Olomucensem Episcopum, predecessorem nostrum. Cum consensu Capituli Olomucensis, eisdem Dominabus et monasterio Dubrawicensi datum, vidimus sub sigillis eiusdem predecessoris nostri, et Capituli Olomucensis, illesum omnino, et

in nullo suspectum. Cuius tenorem presentibus, de uerbo ad uerbum duximus inserendum. et est talis. In nomine sancte et indiuidne trinitatis. Robertus dei gratia Olomucensis Ecclesie Episcopus etc. Anno millesimo. ducentesimo. XXX. VIII. Indiccione Nona. Pontificatus nostri anno XXXVIII. Datum in Cremsyr per manus Esau Canonici. IIII. Kalendas Augusti. (Vide Tom. II. n. CCXCV.) Nos itaque predecessoris nostri vestigiis inherentes. et Cupientes dictis dominabus quietem et comodum in quantum possumus fauorabiliter procurare. vt eo securius et deuocius deo valeant famulari. ad supplicationes earum predictum Priuilegium exemplari innouari fecimus. Ratum habentes et gratum, quidquid iuxta continentiam ipsius priuilegii per predecessorem nostrum dicto monasterio Dubrawicensi indultum exstitit uel concessum, factum ipsius predecessoris nostri tenore presencium confirmantes. In cujus confirmationis et Ratificationis nostrorum testimonium, presentes exinde fieri |et sigillo nostro fecimus communiri. Datum in Modriz anno Domini M. CC. Nonagesimo Octauo. XV. Kalendas februarii.

Ex originali in archivo monasterii Rayhradensis cum sigillo bene conservato.

LXXXIII.

Ulricus de Novocastro, gubernator provinciae Lucensie, confirmat abbatiae Wyzowicensi donationem mediae villae Slopna factam a Petro de Slopna. Datum XII. Kalendas Aprilis. 1298.

In Nomine Domini Amen. Humane cum sit Stirpis Condicio Debilis et motiva, necessarium valde fore dinoscitur, ut facta hominum, que fiunt in tempore, ne simul labanur cum tempore, et ne Brigarum questiones, que oblivionis inercia disponere consuevit, ex eis emergant in posterum, literarum Registris et proborum Virorum testimoniis muniantur. Nos igitur Ulricus de Nouo castro Tenore presencium ad Uniuersorum noticiam cupimus pervenire. Quod Petrus de Zlopna eandem Villam dictam Zlopna dimidiam in Lucensi Provincia stam, quam Jure Haereditario aliquot annis possedit, libere et absolute in remedium anime sue de bona voluntate filiorum suorum Viris Religiosis fratribus in Wizowitz, Cisterciensis Ordinis,

donavit ac legavit pleno jure perpetuo possidendam, nichil sibi Juris in eadem Villa penitus reservando. Nos vero qui de gracia Domini nostri Wentzezlai, Serenissimi Regis Bohemie, in Jam dicta Lucensi Provincia, Bonorum et Hominum possessores seu Gubernatores existimus, per tempora vite nostre diligenti inquisicione Didicimus a plurimis fide Dignis ac Viris approbatis memoratam Donacionem absque prejudicio Domini nostri Regis predicti plenarie fore racionabilem atque salvam; de Consilio fidelium nostrorum, aliorumque Nobilium prefatam Donacionem approbantes, istius scripti serie Duximus confirmandum. In cuius rei testimonium et robur perpetuo valiturum, preseus scriptum fieri voluimus, sigillique nostri munimine consignatum. Datum presentibus his testibus, Onschone de Zlabčove, Sdizlao dicto Meschicz. Jancone de Dybischobitz, Naharado de Winowe, Bznata de Zdonorove, Hermanno de Wielobitz, Miloschio de Tieschow, Wichen et St. fratribus de Zlopna, et aliis quam pluribus ydoneis et probatis. Anno domini Milesimo Ducentesimo XCVIII. XII. Kalendas Aprilis.

E Monastico MS. in tomo Cisterciensium archivi Rayhradensis.

LXXXIV.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterio Camenicensi, dioecesis Wratislav. pro villa Třebenowic in terra Oppaviae confert villam Stalsdorf circa Freudenthal. Dto. in Oppavia VII. Kalend. Aprilis. 1298.

Nos Wencezlaus, dei gratia rex Boemie, dux Cracovie et Sandomerie, marchioque Moravie, harum serie notum facimus uniuersis tam presentibus, quam futuris, quod, cum olim in annis pupillaribus seu infra annos puberes constituti, villam nostram dictam Trebenouicz, sitam in terra nostra Opauie, que quidem terra per alios occupata tunc temporis tenebatur, religiosis viris .. abbati et conuentui monasterii de Camenicz, ordinis Cisterciensis, Wratizlauiensis diocesis absque deliberatione debita donassemus, nuper post reuocationem dicte terre ad manus nostras, dicti monasterii abbas cum aliquibus fratribus nomine conuentus dicti monasterii ad nostram presentiam venientes, instantius petiuerunt a nobis, predictam

donationem ville prefate sibi ratificari et per nostras speciales literas confirmari. Nos autem predictam donationem, licet ex premissis causis diligentiori discussione ac examinatione prehabitis, inefficacem et inutilem penitus uideremus et propterea villam ipsam absolute et sine restauro aliquo resumere et recuperare possemus, ne tamen predictos abbatem et conuentum relinqueremus gratia nostra vacuos et expertes, de ipsorum beneplacito atque nostro, et ad petitionem eorum, dimissa nobis et restituta per eos ipsa villa, aliam villam nostram dictam Stalsdorf circa Wreudental sitam, cum hominibus, domibus, areis, agris, pascuis, pratis, silvis, aquis, molendinis, piscationibus, prouentibus, iudicio et iuribus ac pertinentiis suis omnibus, abbati et conuentui supradictis et successoribus eorum vniuersis ob specialis deuotionis affectum, quem ad monasterium ipsum habuimus et habemus, nec non pro nostre ac progenitorum nostrorum animarum remedio, damus et conferimus liberaliter de gratia speciali, per eos iure proprietatis in perpetuum possidendam. In cuius rei testimonium presentes literas exinde fieri et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum in Opauia per manus venerabilis Petri Basiliensis episcopi, Wissegradensis prepositi et regni nostri Boemie cancellarii, principis nostri dilecti. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, VII. Kalendas Aprilis, indictionis undecime. Regni nostri anno primo.

Ex originali in archivo reg. Prov. Wratislav.

LXXXV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, vidimat et confirmat monasterio Oslowanensi privilegia Otakari, regis Boëmiae, Roberti, episcopi Olomuc. et Alexandri papae IV. super jus patronatus ecclesiae parochialis S. Jacobi Brunae. Dto. in Olomuc. IV. Nonas Aprilis. 1298.

In nomine domini amen. Inter humani generis arduas, quibus perplexis frequenter exagitatur, sollicitudines opere precium est, ne opera pietatis exacta diligencia a Principibus et Illustribus Regibus in sui salutem preparata, et sanctis patribus, Romanis Pontificibus confirmata, obliuioni bonis nouercanti operibus pessundentur, et ne facta hominum inficiat suc-

cessio facti inscia, que predecessorum confecit scientia studiosa: quod scripturarum innouentur frequenti memoria, vt frequencius posteris appareant facie rediuiua. Quapropter nos Theodricus, Olomucensis episcopus, notum esse volumus tam presentis etatis hominibus quam future, quod litteras et paginas litterarum quondam domini Primissil, serenissimi regis Boemie tercii, et domini Ruberti, venerabilis Olomucensis episcopi, antecessoris nostri, et sanctissimi in Christo Patris et Domini Domini Alexandri sacrosancte Romane Ecclesie Summi pontificis super donacione et confirmacione donacionis iurispatronatus ecclesie Sancti Jacobi parochialis intra muros ciuitatis Brunnensis site, domine abbatisse monasterii in Valle sancte Marie, que vulgariter dicitur Ozlauan et conuentui eius liberaliter facta, et quondam domini Brunonis, venerabilis Olomucensis episcopi predecessoris nostri, renouacionem audiuimus, vidimus et sepe perspeximus diligenter propriis eorum sigillis sigillatas, non abolitas, non cancellatas nec in aliqua parte sui viciatas, quarum tenor de verbo ad verbum talis est: Ego Otakarus, qui et Premizl etc. Datum octavo Idus Decembris, regni nostri anno XXXIII. Vide T. II. n. CXCI. — In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Nos dei gracia Rubertus etc. Datum in Modricz anno ab incarnatione domini M. CC. XXXI. Vide T. II. n. CCXIII. — Alexander episcopus, seruus seruorum dei etc. Datum Laterari V. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno VII. Vide T. III. n. CCCV. — Alexander episcopus, seruus seruorum dei etc. Datum Laterani V. Idus Marcii. Pontificatus nostri anno VII. Vide T. III. n. CCCXVII. — Bruno, dei graci episcopus Olomucensis etc. Datum in Modericz, anno domini M. CC. L. X. VII. VII. Idus Nouembris. Vide T. III. n. CD. — Et ne premissa donacio et donacionis confirmacio sub diuersis litterarum paginis tanquam originalibus reposite, literarum pluralitate minus habili ad conseruandum, portandum et sepius relegendum per infausti casus euentum aliqualiter forsitan turbarentur, ad petitionem sepius dicte ... abbatisse et conuentus eius ad unam chartam conscribi fecimus, et nostro sigillo appendenti in perpetuam memoriam iussimus communiri. Datum in Olomucz. Anno domini Millesimo Ducentesimo Nonagesimo. VIII. Nonas Aprilis quarto.

Ex originali cum sigillo bene conservato in curia Brun. N. I. n. 5.

LXXXVI.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, Vigando decano Brunensi mandat, ut collegiatae ecclesiae S. Petri nullam taxationem imponat. Dto. in Olomuc in festo Paschae. 1298.

Theodoricus, dei gracia Olomucensis episcopus, dilecto filio Vigando, decano Brunnensi, salutem. Nouerit dilectio tua, quod, postquam ad instantiam serenissimi principis, domini nostri Wenceslai, regis Boemie, ducis Cracouie et Sandomirie, ac marchionis Morauie, ecclesiam S. Petri in Brnnna de nostrorum canonicorum consilio conuentualem fecimus, et ius collegii sibi attribuimus, visum est nobis ob hoc, quod deinceps in collegiatarum numero computetur, et conventualium ecclesiarum priuilegio potiatur. Unde mandamus, quatenus dictam ecclesiam sancti Petri non ultra in iure simplicium parochialium ecclesiarum computes, necaliquam taxationem imponas ei, vel exigas ab eadem, nisi quando ab aliis collegiatis ecclesiis tibi commiserimus exigendum. Datum in Olomucz, anno domini M. CC. LXXXXVIII. in festo Pasche.

E copia in archivo ejusdem ecclesiae.

LXXXVII.

Wenceslaus rex confirmat donationem unius lanei ad neoerectam, ecclesiam in Wojanowice factam a Gerbotone cive Hlubčicensi. Datum V. Idus Aprilis. 1298.

Nos Wencezlaus dei gracia Rex Boemie, Dux Cracouie et Sandomirie, Marchioque Morauie, tenore presencium notum esse volumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos Gerbotonis Ciuis nostri de Lubchicz precibus fauorabiliter annuentes, collacionem unius lanei sui, quem ipse in villa dicta Woyanowicz, liberum possidebat, factam per eum, Ecclesie sancte Marie in dicta villa de nouo fundate, ratam et gratam habentes, eam acceptam, et harum serie confirmamus, volentes ut predicta Ecclesia et Plebani eius qui pro tempore fuerint, laneum ipsum dotis et proprietatis iure teneant et possideant perpetuo tamquam suum. In cuius

rei testimonium presentes litteras fieri, et Sigillis Maiestatis nostre iussimus communiri. Datum in Olomuz per manus venerabilis Petri Basiliensis Episcopi, Wissegradensis Prepositi, et Regni nostri Boemie Cancellarii, Principis nostri dilecti. Anno domini Millesimo. Ducentesimo. Nonagesimo. Octauo. V. Idus Aprilis. Vndecime Indiccionis. Regni nostri anno Primo.

Ex originali in archivo curiae Brunensis f. R. n. 5.

LXXXVIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae, remittit parochiali ecclesiae S. Petri in Nova ecclesia annuum censum unius marcae argenti in compensationem damnorum, quae ex constructione capellae in Wojanowic passa est. Dto. in Olomucz V. Idus Aprilis 1298.

Wencezlaus Dei gracia Rex Boemie, Dux Cracovie, et Sandomirie, Marchioque Moravie Supplicum preces que maxime super Ecclesiarum indempnitatibus nostro culmini porriguntur, dignum est nos placida benignitate suscipere, ac eas confirmationis nostre presidio communire. Sane principaliter propter Deum, et pro nostre ac progenitorum nostrorum animarum remedio, annuum Censum unius Marce argenti Moravici ponderis, nobis debitum a Laneo quem incole Ville Woyanowicz in restaurum Dampnorum que Parochialis ecclesia sancti Petri in loco nostro forensi dicto Nova Ecclesia in terra nostra Opaviensi est perpessa, ex construccione Capelle in dicta Villa sita infra Limites dicte Parrochie emerunt ad eandem Parrochialem Ecclesiam, eidem Ecclesie sancti Petri relaxamus et Donamus de Gracia Speciali: Volentes et statuentes, ut supra dicta Ecclesia Laneum ipsum Liberum tam a predicto Censu, quam ab omni alia Specie ac onere Servitutis in perpetuum teneat ac possideat pacifice et quiete. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et sigillis Majestatis nostre jussimus communiri. Datum in Olomucz per manus Venerabilis Petri, Basiliensis Episcopi, Wissegradensis Prepositi, et Regni nostri Boemie Cancellarii, Principis nostri Dilecti. Anno Domini Millesimo. Ducentesimo.

Nonagesimo Octavo. V. Idus Aprilis Undecime Indiccionis. Regni nostri anno Primo.

E monastico MS. in tomo cum inscriptione „Cistercienses Moniales". p. 110. archivi Rayhradensis.

LXXXIX.

Capitulum Boleslaviense resignat episcopo Olomucensi denarios decimales in districtu Znoymensi. Dto. Boleslaviae in vigilia S. Marci. 1298.

Nos magister Pardussius diuina permissione prepositus — Martinus decanus. Vlricus Custos. Nicolaus Scolasticus totumque capitulum Boleslaviensis ecclesie pragensis dyocesis. Notumfacimus vuniuersis presentes literas inspecturis. Quod cum ex antiquo tempore in partibus Morauie in archidiaconatu Snoymensi et Betoviensi prouincia et per totum districtum optinuerimus quedam jura episcopalia ad dyocesanum pertinentia. sicut de sex denariis de laneo vno quoque regionis predicte percipiendis, qui denarii hodie decimales dicuntur sed Vomerales primitus vocabantur. et de decimo tributo siue theloneo Ciuitatum. pontium seu quorumcunque aliorum locorum que similiter ex largicione et donacione principis terre quondam Wratislai ducis Boemorum oblata et ab Othacaro et Wencezlao tercio et quarto Regibus Boemie et Marchionibus Morauie nobis et ecclesie nostre de facto confirmata fuerunt, cum res aliena et precipue ecclesiastica a principibus secularibus conferri non potuerit, uel eciam confirmari cum prejudicio et jactura episcopalis Kathedre et loci dyocesani Olomucensis episcopi ad quam Olomucensem Kathedram predicti denarii de vnoquoque laneo terre decimales et decima theloneorum huiusmodi predictorum per totam eandem Olomucensem dyocesin pertinuerunt. semper ab eo tempore cuius memoria non existit excepto archidiaconatu Snoymensi et provincia Betouiensi quod per solam alienanionem principum — sicut superius est premissum a sede episcopali abstractum de facto fuerat et prescisum — Et quum venerabilis in Cristo pater dominus Olomucensis episcopus Nos pro restitutione eorundem iurium episcopalium ad se spectantium que nos con-

tra iusticiam et in grauamen suum — et sedis sue illicite possidere dicebat, monebat et impetebat et multis volebat fatigare laboribus et expensis — quod dampnosum vtique nobis et ecclesie nostre fuisset. pro tali causa minus justa expensas facere et labores — Unde nos considerantes et diligentius attendentes. nos predicta Jura decimales et decimas theloneorum prefatas obtinuisse de facto et nolentes vlterius in animarum nostrarum periculum detinere — Quippe cum nobis eciam minus utilia extitissent cum ea sine adjutorio et de promocione dyocesani requirere nobis omnino laboriosum et infructuosum ymmo inpossibile extitisset, habito super huiusmodi iurium restitutionem in capitulo nostro solempni tractatu et deliberacione prehabita diligenti, concordi et unanimi voluntate interueniente omnium et singulorum nostrorum consilio et assensu recepta super hoc auctoritate et licencia venerabilis patris domini nostri Gregorii episcopi et capituli sui tocius Pragensis obtento quoque assensu Serenissimi principis. domini nostri Wencezlai Regis Boemie sexti Marchionisque Morauie, qui jura Olomucensis Sedis et Kathedre modo prehabito diminuta reintegrari cupiens. et id eciam nobis et saluti nostre expedire prospiciens ad nostram instanciam prefatum Venerabilem patrem dominum Theodericum Olomucensem episcopum super hoc inuitauit sollicite et ut nobiscum concordaret amicabiliter rogauit — receptis ab eodem patre domino Theoderico Olomucensi episcopo ex forma compositionis amicabilis, suo et ecclesie sue nomine. centum marcis puri argenti Morauici ponderis. quas idem episcopus eciam vexationem suam intendens redimere et recuperare jura predicta alienata modo prehabito et distracta. Verum tamen a nobis bona fide possessa nobis et ecclesie nostre persolnit, pro nostris laboribus et expensis, quas pro requirendis et retinendis predictis juribus fecimus bona fide eidem patri domino Th. Olomucensi episcopo et episcopatui ac sedi sue restituimus, renunciavimus, cessavimus et resignavimus jura ipsa videlicet tam decimales sex denariorum, quam decimam theloneorum tocius Archidiaconatus Snoymensis et Betoviensis prouincie. Et nunc tenore presentium dicto patri et Olomucensi episcopo predicta omnia renunciamus, cedimus, restituimus et resignamus simpliciter et ex toto nostro et nostre ecclesie nomine, ea perpetuo refutantes. Promittimus itaque nostro et successorum nostrorum nomine dicto patri, suo et successorum suorum nomine stipulanti

de dictis juribus, litem vel controversiam non inferre — nec inferenti consentire — et predictas restitutionem, cessionem, renuncciacionem et resignacionem perpetuo firmas. ratas et gratas habere tenere et obseruare — et non contrafacere vel venire per nos vel per alium aliqua racione vel causa aut negotio. de Jure vel de facto. Nec ad reuocationem eorum remedium vel auxilium querere a sede apostolica vel legato ipsius vel a Moguntino aut a principe nostro. aut ullas super hoc literas vel privilegia inpetrare vel inpetratis uti. Hec omnia et singula nos obseruaturos iureiurando ad sanctam dei crucem confirmantes — quod si in aliquo contravenerimus in permissis vel in aliquo permissorum, preter penam perjurii ad solucionem ducentarum marcarum argenti pene nomine et ad refusionem dampnorum expensarum et interesse dicto patri et successoribus ejus. nos et successores et ecclesiam nostram certissime obligamus et hiis omnibus solutis et refusis nichilominus permissa omnia et singula obseruare Renunciantes super hiis nostro et successorum nostrorum ac ecclesie nostre nomine exceptioni non habite seu non recepte pecunie vel in vtilitatem ecclesie nostre non conuerse excepcionem doli condicioni siue causa et in factum subsidiarie et generaliter omni beneficio et privilegio restitucionis in integrum — literarum quoque apostolicarum et indulgentiarum inpetratarum ratarum et inpetrandarum cuiuscunque tenoris seu forme existant. Constitucionem etiam omnium et quarumlibet exceptionum de jure nobis competentium et generaliter omni auxilio juris canonici et civilis nos predicti magister Pardussius prepositus. Martinus decanus. Vlricus Custos. Nicolaus Scolasticus. Magister Petrus Protonotarius Regni Boemie. Magister Gregorius. Nicolaus. Conradus. Swatoslaus. Lowata. Merkelinus. Hartungus. Radislaus. Petrus. Domaslaus. Johannes. Canonici Boleslauiensis ecclesie predictis omnibus interfuimus restituimus renunciauimus refutauimus promissum et jurauimus. Et in hiis omnibus que facta sunt consilium operam et assensionem nostram adhibemus et adhibuimus et per manum Nicolai scolastici nostri presentibus subscribimus ad robur perpetuo valiturum. Et ut nichilominus omnia et singula premissa rata et illibata persistant et nullo tempore possint convelli sigillo prepositure et capituli Boleslauiensis presentes literas curauimus communiri. Datum in Bolesla

per manus predicti Nicolai Scolastici nostri anno domini M. CCXCVIII. in vigilia beati Marci ewangeliste.

E Cod. Chart. I. p. 85. in archivo capituli Olomucensis.

XC.

Weuceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterio S. Clarae Olomutii insulam Lazec ante Olomuc confert. Dto. Pragae, Kalendis Maii. 1298.

Nos Wenceslaus, dei gracia rex Boemie, dux Cracouie et Sandomerie, marchioque Morauie, tenore presentium notum esse volumus tam presentibus, qvam futuris, quod nos considerantes attente inter pietatis opera merito computantes piis locis et personis, in eis deo famulantibus, de bonis nobis a deo collatis elemosinarum suffragia impartiri, nobisque hec in remissione proficere peccatorum; insulam dictam Lasecz ante Olomucz, ad cameram nostram Olomucensem spectantem, cum ortulanis octo, qui tenentur falcare; pratum unum, ad dictam Insulam pertinens, et quilibet eorum lottonum unum argenti pro orto, quem tenet in ea, census nomine debet soluere annuatim; cum quatuor quoque piscatoribus in eadem insula, quorum quilibet solvit tres denarios qualibet septimana; nec non cum molendino uno in aque insule memorate, duas rotas habente, de quo nullus census soluitur, sed eidem camere molendo deseruit; abbatisse et conuentui monialium monasterii ordinis sancte Clare in Olomucz, principaliter propter Deum et anime nostre remedium, damus et conferimus de gracia speciali, quam quidem insulam cum dictis ortulanis, prato, piscatoribus, molendino, quod, sicut olim dicte camere seruiebat, sic prefato monasterio seruire tenebitur, ad ipsam insulam pertinentibus, eisdem abbatisse et conuentui per Albertum de Sternberk, camerarium Olomucensem, assignari fecimus, per eas iure proprietatis perpetuo possidendam. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage per manus uenerabilis Petri, Basiliensis episcopi, Wissegradensis prepositi, et regni nostri Boemie cancellarii, principis no-

stri dilecti. Anno domini M. CC. XCVIII. Kalendis Maii. XI. Indictione. Regni nostri anno primo.

E copia in archivo ejusdem monasterii.

XCI.

Confirmatio episcopi Pragensis super resignatos episcopo Olomucensi a capitulo Boleslaviensi denarios decimales in archidiaconatu Znoymensi. Dto. Pragae VIII. Idus Maii. 1298.

Nos Gregorius, dei gracia episcopus Pragensis, notumfacimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod, cum dilecti filii, magister Pardussius prepositus, Martinus decanus, totumque capitulum Boleslauiensis ecclesie, ab olim et ex antiquis temporibus in partibus Morauie in toto archidiaconatu Snoymensi quedam iura episcopalia, ad diocesanum loci, videlicet episcopum Olomucensem, spectantia, sicut de sex denariis percipiendis de laneo vnoquoque regionis predicte, qui denarii hodie decimales dicuntur, sed vomerales primitus vocabantur, et de decima thelonei percipienda in quibuscunque ciuitatibus, pontibus siue locis, ex concessione et confirmatione principum Boemie et Morauie ipsis et ecclesie Boleslauiensi de facto collata, minus canonice optinerent; cum res aliena et precipue ecclesiastica a principibus secularibus conferri nequiuerit, et etiam confirmari cum preiudicio et iactura episcopalis kathedre et dyocesani loci, scilicet Olomucensis episcopi, ad quam Olomucensem ecclesiam et eius kathedram predicti decimales et decima theloneorum per totam Olomucensem dyocesim pertinuerunt semper ab eo tempore, cuius memoria non habetur, excepto de archidiaconatu Snoymensi, quod per solam alienationem principum, sicut superius est premissum, a sede episcopali Olomucensi abstractum fuerat et prescisum, propter quod venerabilis in Christo pater, dominus Theodoricus, Olomucensis episcopus, predictos prepositum et capitulum Boleslauiense super cessione et restitutione iurium predictorum archidiaconatus Snoymensis, que modo prehabito detinebantur, ab ipsis facienda sibi mouebat et impetebat, et multis fatigare laboribus et expensis, quod vtique dampnosum fuisset, presertim pro tali causa, iustitie pondere destituta, ex-

pensas facere et labores. Vnde prefati prepositus et capitulum Boleslauiense considerantes attentius, predicta episcopalia in predicto archidiaconatu Snoymensi se optinuisse de facto, et volentes euitare suarum periculum ecclesiarum, quippe cum eis minus vtilia extitissent, pro eo, quod ipsa sine adiutorio et promotione dyocesani numquam requirere poterant fructuose, et ob hoc multas faciebant expensas et sustinebant labores, habito super restitutione iurium huiusmodi in capitulo suo solempni tractatu, et deliberatione prehabita diligenti, quia salubre erat, et debitum iustitie requirebat; restituere alienum, et cum prefato patre domino Olomucensi amicabiliter concordare, a nobis auctoritatem et licentiam super restituendis predictis iuribus diligentius petiuerunt. Quam quod rationabiliter postulabant, sue conscientie prouidentes eis libenter concessimus et gratanter, persuadentes eis nichilominus, ut officere pro salute animarum suarum nullatenus dubitarent. Ipsi vero hac licentia et auctoritate nostra a nobis optenta, habito quoque assensu serenissimi principis, domini Wenceslai, regis sexti Boemie et marchionis Morauie, receptis quoque a prefato domino Theodorico, venerabili Olomucensi episcopo, ex forma compositionis amicabilis centum marcis puri argenti Morauicalis ponderis, quas idem episcopus, vexationem suam intendens, redimere et recuperare iura sua predicta alienata modo prehabito et distracta predictis preposito et capitulo Boleslauiensi suo et ecclesie sue nomine persoluit pro laboribus et expensis, quas pro requirendis et retinendis eisdem iuribus fecerant bona fide dicto domino Theodorico, venerabili episcopo Olomucensi, et episcopatui ac sedi sue iura supradicta, decimales et decimas theloneorum totius archidiaconatus Snoymensis restituerunt, simpliciter et ex toto renuntiantes, cedentes et resignantes, et ea perpetuo suo et Boleslauiensis ecclesie nomine refutantes, promittentes etiam et iurantes, se contra restitutionem huiusmodi non venire, nec ullum ad reuocationem eorum querere remedium, aut auxilium implorare. Et quia nobis supplicarunt humiliter, ut, quod ab eis in hac parte factum fuerat confirmari. Nos quoque super hoc deliberatione prehabita diligenti, quod a predictis preposito et capitulo Boleslauiensi factum est modo prehabito, et omnia et singula, que super hiis in litteris eorundem prepositi et capituli Boleslauiensis super hoc confectis continetur plenius, approbantes et merito commendan-

tes, id auctoritate ordinaria ex certa nostra scientia in nomine domini confirmamus et sigilli nostri munimine roboramus. Nos autem Vlricus prepositus, Welislaus decanus, Johannes scolasticus, totumque capitulum Pragensis ecclesie, ut ea, que facta sunt, a preposito et capitulo Boleslauiensi in premissis, et a domino venerabili patre Gregorio, Pragensi episcopo, permissa, approbata et etiam confirmata sunt, sicut superius est expressum, robur optineant perpetue firmitatis, sigillum capituli nostri Pragensis in testimonium presentibus adhibemus. Datum Prage anno domini MCCLXXXXVIII. VIII. Idus Maii. Pontificatus nostri anno secundo.

E cod. chart. I. fol. 87—89 in archivo archiepiscop. Olomuc.

XCII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, confirmat episcopo Olomucensi resignatas a capitulo Boleslaviensi decimas in provincia Znoymensi et Betowiensi. Dto. Pragae XVI. Kalend. Junii 1298.

Nos Wencezlaus dei gracia rex Boemie, dux Cracouie et Sandomerie, marchioque Morauie, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod cum prepositus, decanus, totumque capitulum ecclesie Bolezlauiensis, volentes condicionem ipsius ecclesie facere meliorem, denarios qui modo decimales dicuntur, sed vomerales primitus vocabantur, quos habuerunt ab antiquo in Znoymensi et Wetouiensi prouinciis marchionatus nostri Morauie, pro eo quod ipsos propter loci distanciam commode percipere, suamque de ipsis et ecclesie sue vtilitatem facere non valebant, venerabili Theoderico episcopo Olomucensi, principi nostro dilecto, eiusque successoribus vniuersis, pro episcopatu Olomucensis ecclesie resignauerint et cesserint denariis de eisdem receptis proinde ab eodem episcopo, centum marcis puri argenti ex forma composicionis super ipsa resignacione et cessione inter eos facta, ut in priuilegiis per memoratos prepositum et capitulum Bolezlauiensis ecclesie, prefato episcopo et Olomucensi ecclesie super hoc datis, plenius dicitur contineri. Nos cessioni et resignacioni denariorum ipsorum, ad supplicacionem predictorum prepositi et capituli Bolezlauiensis ecclesie, benignum prestamus assensum! volentes, ut cessio et resignacio predicta robur obtineant perpetue firmitatis. In cuius rei testimonium pre-

sentes litteras fieri, et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage per manus venerabilis Petri Basilieusis episcopi, Wissegradensis prepositi et regni nostri cancellarii, principis nostri dilecti. Anno domini millesimo, ducentesimo. nonagesimo octauo. XVI. Kalendas. Junii. vndecime Indiccionis. Regni vero nostri anno primo.

(Sig. laesum.) Ex orig. in archivo capituli Olomuc.

XCIII.

Wenceslaus, rex Boëmie et marchio Moraviae, confert monasterio Cellae S. Mariae Brunae jus patronatus ecclesiae in Mautnic. Dto. Pragae III. Kalend. Junii 1298.

Wenceslaus, dei gracia rex Boemie, dux Cracouie et Sandomerie, marchioque Morauie. Cum personis religiosis, deo sub regulari habitu famulantibus, beneficia grata tribuimus, nobis ad anime nostre salutem proficere firmiter arbitramur. Eapropter harum serie notum esse uolumus tam presentibus quam futuris, quod nos considerantes attente, quod sorores monasterii de Cella sancte Marie ordinis predicatorum in Bruna diuinis laudibus diu noctuque laudabiliter et constanter inuigilant, ac propterea volentes eas et monasterium ipsarum honorifice munificentie nostre beneficiis prosequi, principaliter propter deum, et progenitorum nostrorum, nostrorumque remissionem peccatorum, ius patronatus ecclesie in villa nostra Mautniz Olomucensis diocesis, ad nos spectans, eisdem sororibus et monasterio damus et conferimus liberaliter de gracia speciali, per monasterium et sorores predictas in perpetuum pacifice possidendum. In cuius rei testimonium presentes litteras exinde fieri, et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage per manus venerabilis Petri, Basiliensis episcopi, Wissegradensis prepositi, et regni nostri cancellarii, principis nostri dilecti. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo. Tertio Kalendas Junii. Undecime Indictionis. Regni nostri anno secundo.

Ex originali in archivo C. R. Vindobonae.

XCIV.

Wenceslaus rex annuente episcopo Olomucensi fundat et dotat praeposituram cum sex fratribus ordinis S. Benedicti in oppido terrae Moraviae Mirzin (Měřjn). Datum feria V. post Pentecosten 1298.

Steinbach diplomat. Merkwürdigkeiten. I. p. 211. — e libro Humpolecsiano.

XCV.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterio Zabrdowicensi concedit, ut villa ejusdem Klobuk sit forensis ejusque jura stabilit. Dto. Pragae XIV. Kalend. Julii 1298.

Wenceslaus, dei gratia rex Boëmie, dux Cracouie et Sandomirie, marchioque Morauie. Quanto majoribus libertatibus, et honoribus ecclesias, ac Monasteria, regni nostri, in quibus assidue colitur et veneratur altissimus, honoramus, tanto splendidius in exemplum laudabile fama nostra corrutilat, tantoque firmius ad anime nostre salutem nobis proficere credimus et speramus. Ea propter harum serie scire volumus presentes et posteros vniuersos, quod nos principaliter propter deum, et ob reuerentiam gloriose virginis Marie, ac S. Chunegundis, et sanctarum patronarum monasterii in Zaberdouicz, Premonstratensis ordinis ante Brunam, volentes monasterium ipsum claris honorum et libertatum titulis decorare. Abbatis et conuentus ipsius monasterii supplicationibus fauorabiliter inclinati, eis de speciali gratia concedimus et fauemus, quod villa eiusdem monasterii, dicta Klobuk, sit locus forensis, fiatque forum qualibet quarta feria, cui(us)libet septimane, statuentes, ut crimina et excessus, quas pro tempore in eodem loco et villis infra scriptis, ad idem Monasterium spectantibus, per quoscunque committi contigerit, ibidem pena et correctione debita, sicut ius terre et consuetudo obtinet, puniantur. Ad maiorem quoque gratiam, homines dicti monasterii, in eodem loco Klobauk, Saraticz, Niklzcicz, Pyssou, Senkwicz, Burkowan, Steyn, Seskowicz, Bohumilicz, et Prestawilk, villis ad monasterium ipsum pertinentibus, residentes, a beneficiariorum singulorum terre nostre Morauie iurisdictione eximimus, et esse volumus liberos

et exemptos. Quos coram domino abbate, vel procuratoribus, siue iudicibus, seu officialibus ipsius abbatis, in dicto loco Klobauk super quibuscunque causis conueniri volumus, et etiam iudicari. Si vero predicti abbas, vel iudices, procuratores, vel officiales ipsius, in dicto loco in exhibenda iustitia conquerentibus negligentes fuerint, et remissi, et de hoc constiterit euidenter, tunc ad beneficiarios terre ipsius, ad quos prius dictorum hominum pertinebat iudicium, ea vice pro iustitia recurratur. Statuimus preterea, vt incole dicti loci, et villarum ipsarum viuant, et vtantur in causis quibuslibet iure, quod habetur in oppido nostro dicto Meynin, nec ad significandum amplius beneficiariis quibuscunque furta, homicidia, et vulnera, seu quoslibet alios excessus, qui in loco et villis predictis, ac eorum territoriis, per quoscunque maleficos committerentur, de cetero teneantur, nisi forte nobilis aliquis in eisdem loco, villis, et territoriis in aliquo maleficio fuerit deprehensus, quod quidem maleficium perdictos incolas nostris beneficiariis intimetur, vt ibidem malefactor huiusmodi iudicetur, sicut de consuetudine ac iure terre ipsius hactenus est consuetum. In cuius rei testimonium et robur presentes litteras fieri, et sigillis maiestatis nostre, iussimus communiri. Actum et datum Prage, per manus venerabilis Petri Basiliensis episcopi, Wissegradensis Prepositi, et cancellarii regni nostri, principis nostri dilecti. Anno domini M. CC. XC. VIII. XIV. Calendas Julii. Vndecime Indictionis regni nostri anno secundo.

Ex annal. Ms. Zabrdowic.

XCVI.

Gregorius, episcopus Pragensis, confirmat hospitali S. Francisci Pragae jus patronatus ecclesiae in Hodonic in Moravia. Dto. Pragae XIV. Kalend. Julii. 1298.

Nos Gregorius Dei gratia Pragensis Episcopus, notum esse Volumus Vniversis tenorem presentium inspecturis. Quod Honorabilis Viri Dilecti fratris nostri in Christo Theodorici Dei gratia Olomucensis Episcopi Litteras patentes non vitiatas Vidimus in haec Verba. Theodericus Dei gratia Episcopus Olomucensis, Vniversis Christi fidelibus presentes Litteras

inspecturis in perpetuum. Honorabilis et Devota Domina soror Elizabeth Ordinis Sancti francisci relicta quondam Kadoldi, Dicti Ways, Devotas nobis preces humiliter per suas Litteras patentes, non vitiatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui lesas seu cancellatas Obtulit in hecce verba, quas presentibus includi mandamus secundum ordinem nullo addito, seu minuto. Reverendo in Christo Patri ac Domino Theoderico Olomucensis Ecclesie Episcopo, Sonor Elizabeth relicta quondam Kadoldi Dicti Ways, etc. usque: Datum apud Cremsyr Anno Domini Millesimo Ducentesimo Octuagesimo Primo, Octavo. Kal. Octob. Pontif. nostri anno primo. Vide T. IV. n. CXCVI. Datum Prage per manus Magistri nostri Petri anno predicto MCCXCVIII. Pontif. nostri anno secundo XIV. Kal. Julii.

E monastico, ms. archivi Rayhradensis in tomo cum inscriptione „Canonici Regulares S. Augustini“ p. 317, desumtum ex autographo praepositurae S. Hyppoliti.

XCVII.

Nicolaus de Dobřensko et cognati sui vendunt et donant fratri Th. ordinis militiae templi in Templstein praedia sua in Dobřensko et Petrowic, et jus patronatus in Dobřensko. Dto. Znoymae XVII. Kalend. Augusti 1298.

Humanarum actionum conditio plerumque lapsu temporis exanescit, nisi redivivo litterarum et personarum testimonio perennetur. Ego itaque Nicolaus dictus de villa Dobrenz constare cupio tam presentis etatis hominibus quam future, quod Eberhardus sororius meus dictus de Stendorf una cum uxore sua, sorore mea, quatuor laneos cum dimidio in Dobrenz, et frater meus Ingram nomine vineas sitas in Petirwiz discreto viro fratri Th. ordinis sancti templi in Tempilsten in perpetuum vendiderunt, cui domui atque ordini duo fratres mei Abelus et Wyzemitas causa devotionis religionem predicti ordinis assumentes integram hereditatis sue portionem, videlicet X. laneos cum dimidio, et VI. curticulas, et medietatem silue cum pascuis, sitis in inferiori parte ville in Dobrenz, et novem vineas in Petiruviz humiliter donaverunt, qui ordo etiam villam dictam Popiz, quam

pater meus cum omnibus attinentiis ipsius ville claustro in Ozla cum filia sua legaverat, pleno iure possidet in presenti. Ego predictus Nicolaus de Dobrenz pro anime mee remedio omni iuri quod habeo in bonis predictis renuncians publice et expresse, eidem ordini ius patronatus Ecclesie, quod hereditarie ad me pertinuit, voluntate libera condonavi, emptionem nihilominus et donationem predictam gratam et ratam habiturus promitto, et presentibus me obligo, bona fide dictum fratrem et ordinem ipsius ab omni actione et impetitione omnium heredum bonorum predictorum reddere saluum penitus et indempnem. In cuius rei certitudinem presentes litteras sigillorum subscriptorum dominorum volui fideliter communiri cum testibus subnotatis, videlicet domino Matheo de Schirneho camerario, Drizlao de Polerdiz zudario, Johanne iudice provinciali in Zneuma, domino Alberto dicto de Noneken camerario Moravie, domino Johanne dicto de Benesowe burgravio in Gemeniz, domino Genzone de Nazmariz, domino Lupo de Plawychs, domino Kadoldo de Myrezlaus, Mizleboro de Mizelbariz, domino Wenczezlao de Wemmezlyz, domino Nęzcyl de Petirwyz, domino Schizlao de Orbowe, Alschyco de Tokewan, Kadoldo de Doberenz, viris honorabilibus et omnimode fide dignis. Acta sunt hec in provinciali iudicio in Zneuma anno domini M. CC. XC. VIII. Indictione XI. Epacta I. XVII. Kalendas Augusti.

Pelzel in den böhm. Abhandlungen 1798.

XCVIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, confirmat privilegium civitatis Litomyśl ab anno 1259. augetque ejus libertates. Dto. Pragae VIII. Kalendas Augusti 1298.

Nos Wenceslaus, dei gracia rex Boemie, dux Cracouie et Sandomirie, marchioque Morauie, notum facimus uniuersis, presentes litteras inspecturis, quod religiosus et honorabilis uir .. abbas Lutomislensis monasterii, Premonstratensis ordinis, ostendit et exhibuit coram nobis quoddam priuilegium felicis memorie domini Otacari, illustris regis Boemie, karissimi patris nostri, eius sigillis munitum, cuius tenor inter alia talis est: In no-

mine sancte et indiuidue Trinitatis. amen. Nos Othacarus etc. ... usque Anno domini M. CCLIX. VI. Kalend. Augusti. Vide T. III. n. CCLXXXI. Nos autem abbatis eiusdem super hiis humiliter supplicantis benigne supplicacionibus inclinati, libertates et gratias predictas, in predicto priuilegio contentas et expressas, ratas et gratas habentes, eas harum serie confirmamus. Et ut monasterium ipsum, predictis patris nostri libertatibus decoratum, per libertatis nouas, quas ad amplioris gracie cumulum ei superaddimus, noua quietis et commodi percipiat incrementa, volumus, statuimus et ordinamus, vt ciues Litomislenses vendendi et emendi merces per aliarum fora ciuitatum, et specialiter per fora Mute et Policz liberam habeant facultatem, et eadem, qua alii in ipsius ciuitatis Litomislensis foro gaudent et utuntur, in aliarum ciuitatum et specialiter Mute et Policz foris dicti ciues Lutomislenses vtantur et gaudeant libertate. Preterea si qui predictorum ciuium de Policz et Muta uel alie persone quecumque pro debitis uel aliis causis quibuscunque contra predictos ciues Lutomislenses aut eorum aliquem habuerint aliquam actionem, illam coram abbate predicto aut eius officialibus mediante iustitia prosequantur. Quodsi forte predicti abbas et officiales eius in exhibenda super hiis conquerentibus de predictis ciuibus Luthomislensibus iusticia negligentes fuerint uel remissi, de hoc constiterit, tunc ad subcamerarium nostrum Boemie pro hiis illa uice uolumus haberi recursum. In cuius rei testimonium et robur perpetuo ualiturum, presentes litteras fieri, et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Actum et datum Prage, per manus venerabilis Petri, Basiliensis episcopi, Wissegradensis prepositi, cancellarii nostri, principis nostri dilecti. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo VIII. Kalendas Augusti, Indictionis vndecime. Regni nostri anno secundo.

(Sig. ruptum.) Ex origin. in archiv. mon. Litom. Praem. 5.

XCIX.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Tišnowicensi privilegium Wenceslai regis, quo cedit de jure patronatus ecclesiae S. Petri Brunae. Dto. in Modřic Idus Augusti 1298.

Nos theodericus dei gracia Olomucensis Episcopus. Notum facimus vniuersis et tenore presencium profitemur. quod cum nuper ad instanciam Serenissimi principis, domini Wencezlai Regis Boemie, sexti. Ducis Cracouie et Sandomirie. ac Marchionis Morauie, causam super Jure Patronatus *Ecclesie Sancti Petri in Brunna*, quam contra Religiosas dominas, Abbatissam et Conuentum dominarum *Porte Celi*, siue *Tusnawiz.* dictus dominus Rex, mouere volebat, quibusdam nostris delegatis iudicibus committere curassemus. Tandem prefatus dominus Rex, liti et cause predicte, mera et libera voluntate cessit. et ipsum ius Patronatus resignauit. et donauit predictis dominabus, Abbatisse et Conuentui, ac Monasterio Tusnawicensi predicto, Petens cessionem. resignationem et donationem predictas, a nobis auctoritate ordinaria confirmari. Nos autem recepta peticione, ipsius Regis. tenorem priuilegii, cessionis. resignationis. ac donationis, predictarum ipsius domini Regis. quod super eo dictis dominabus, et Monasterio prelibato concesserat. quod eciam vidimus sub sigillis ipsius, saluum et illesum omnino. presentibus inseri fecimus. cuius continencia talis est. Nos Wencezlaus etc. 1297. XI. Calendas. Aug. Vide in hoc T. n. LXXII. Vt igitur predicta cessio. resignatio. et donatio, Juris Patronatus predicte Ecclesie Sancti Petri Brunnensis. dictis dominabus et Monasterio Tusnauicensi efficaciter proueniat, et robur perpetuum obtineat et vigorem. ipsam auctoritate ordinaria, ratificamus, approbamus et in nomine domini confirmamus. In cuius rei Testimonium presentes ratificationis approbationis et confirmationis nostrarum litteras, exinde conscribi fecimus, et sigilli nostri appensione muniri. Datum in Modriz anno domini M. CC. XCVIII. Idus Augusti.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillo integro.

C.

Bonifacius VIII. papa committit decano Cremsiriensi, ut sententiam ratione limitum ecclesiarum S. Petri et S. Jacobi Brunae ab abbate Welehradensi latam per censuram ecclesiasticam firmiter observari faciat. Dto. Reatae X. Kalend. Novembris 1298.

Bonifacius, episcopus seruus seruorum dei, dilecto filio decano ecclesie Cremsiriensis Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem — Significauit nobis Willelmus plebanus ecclesie s. Jacobi Brune Olomucensis diocesis, quod cum olim inter quondam Theodericum, plebanum dicte ecclesie, dum uiueret, et Jacobum, plebanum ecclesie sancti Petri Brunensis, eiusdem diocesis, super limitibus parochiarum earundem ecclesiarum coram abbate monasterii de Wellegrat cisterciensis ordinis dicte diocesis, cui venerabilis frater noster Olomncensis episcopus auctoritate ordinaria huiusmodi causam audiendam commiserat, et fine debito terminandam, questio verteretur, idem abbas cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine obseruato difinitivam pro dicto Theoderico plebano sentenciam promulgauit, quam dictus Wilhelmus plebanus apostolico peciit munimine roborari. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus sentenciam ipsam sicut est iusta, nec legitima reuocatione suspensa, facias per censuram ecclesiasticam firmiter oberuari. Datum Reate X. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri anno quarto.

Ex originali in curia Brunensi N. I. n. 7.

CI.

Bonifacius VIII. papa, litem inter rectores ecclesiae s. Jacobi et s. Petri Brunae de scholis vertentem decano Cremsiriensi inquirendam committit. Dto. Reatae X. Kalend. Novembris 1298.

Bonifacius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio .. Decano ecclesie Cremsirensis Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedicionem. Significauit nobis Willelmus rector ecclesie sancti Jacobi in

Brunna Olomucensis diocesis, quod licet ipse de antiqua et approbata et hactenus pacifice obseruata consuetudine in parrochia ipsius ecclesie, scolas ad docendum pueros, psalterium et cantare ualeat retinere, et predecessores sui Rectores ipsius ecclesie fuerint, in possessione uel quasi premissorum a tempore cuius memoria non existit, idemque rector in huiusmodi possessione uel quasi existat, tamen Petrus Rector ecclesie sancti Petri in Brunna, Theodericus et Erolinus vicarii eiusdem. P. Rectoris, ac Hennicus dictus Sasso Rector scolarum in eadem ecclesia sancti Petri eiusdem diocesis, dictum Willelmum Rectorem, quo minus huiusmodi scolas tenere ualeat in dicta Parrochia sancti Jacobi contra iusticiam impedire presumunt, in ipsius Rectoris preiudicium et grauamen. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, uocatis qui fuerint euocandi et auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreueris per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati si se gracia odio uel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas ueritati testimonium perhibere. Datum Reate X Kalend. Nouembris Pontificatus nostri Anno Quarto. .

Ex originali in archivo curiae Brunensis f. N. I. n. 6.

CII.

Bonifacius VIII. papa comittit decano Olomucensi, ut alienata a monasterio Oslovanensi bona revocet. Datum Reatae VI. Kalendas Novembris. 1298.

Bonifacius episcopus seruus seruorum dei .. Dilecto filio .. Decano ecclesie Olomucensis salutem et apostolicam benedictionem. Dilectarum in Christo filiarum .. Abbatisse et Conuentus Monasterii vallis sancte Marie de Ozlauan Cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis precibus inclinati presencium tibi auctoritate mandamus, quatinus ea que de bonis ipsius Monasterii alienata inueneris illicite uel distracta ad ius et proprietatem dicti Monasterii legitime reuocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint

nominati si se gracia odio uel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas ueritati testimonium perhibere. Datum Reate VII. Kal. Nouembris. Pontificatus nostri anno Quarto.

Ex originali in archivo curiae Brunensis f. O. I. n. 16.

CIII.

Raymundus de Lichtenburg, capitaneus Moraviae, litem inter manasterium Zabrdowicense et Wilhelmum de Dambořic de metis villae Kamenec decidit. Dto. Brunae in die SS. Simonis et Judae 1298.

Nos Raymundus de Lucenburg, alias de Wotobia, capitaneus Morauie, notum esse voluimus vniuersis, presens scriptum intuentibus, quod lis et controuersia diuturna vertebatur tempore inter dominum Theodoricum abbatem, et conuentum monasterii Zabrdouicensis parte vna, et dominum Guilhelmum de Damborzicz parte ex altera, pro metis et limitibus in Villa dicta Kamenecz, que nunquam fine terminabili poterant terminari. Tandem sic diu litigantibus, et nihil proficientibus in causis, ambe partes, videlicet dominus Theodoricus abbas Zabrdouicensis et dominus Guilhelmus de Damborzicz, super nos et super dominum Marquardum, militem de Budischow decreuerunt, et nobis de alto et basso ad manus dederunt predictam causam et controuersiam plenarie determinandam et decidendam, sub pena XL. marcarum nobis irremissibiliter et statim soluendarum, que pars nostram determinationem seu decisionem in premissis violaret. Nos itaque Raymundus de Lucenburg, cum domino Marquardo de Budissow, deum habentes pre oculis, materiam de metis et limitibus in prefata villa Kamenecz inquirentes et inuestigantes, et circumsedentibus vicinis hominibus senioribus iuramento prius ab eisdem recepto, ipsos homines seniores nobiscum ad campum eduximus, ad cernendas et ostendendas metas, et eos preire fecimus, et nos post ipsos sequentes, limites, et metas inuenimus .... impositis ad terram, et sic pertransiuimus de vna meta ad aliam, et desuper vnam lineam aratro cum vomere trahere iussimus, nobis presentibus, et hec est prima meta in viam, alia circa viam secunda meta, tertia et quarta in monte, quinta sub eodem monte circa salicem, sexta apud pontem in

vnica strata, septima de eadem strata. Et quicquid est subtus in via siue agri, siue prata, omnia pertinent ad prefatam villam Kamenecz, sicque signauimus et declarauimus in omnibus determinatas. In cuius rei testimonium, et certitudinem firmiorem, nos Raymundus de Lucenburg, presentes literas scribi fecimus, ac sigilli nostri ac sigillis famosorum virorum Marquardi de Budissow, Wilhelmi de Damborzicz, Petri de Bossowicz appensione roborari. Actum et datum Brune, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo. In die sanctorum Simonis et Iude apostolorum.

Ex annal. Zabrdowic. MS.

CIV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, indulgentias monasterio Lucensi a nonnullis episcopis collatas confirmat. 1299.

Vniuersis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis. Nos frater Maurus, Ameliensis, Nicolaus Neccastrensis, Nicolaus Vencrotinensis, Jacobus Castellanensis, frater Nicolaus Turibulensis, frater Jacobus Calcedonensis, Landulfus Bixinensis, Johannes Olenensis, frater Angelus Fesulanensis, Stephanus Opidensis, Nicolaus Capritanensis et Thomas· ... esiensis dei gracia miseratione diuina Episcopi Salutem in domino sempiternam. Licet hic, de cuius munere uenit, vt sibi et suis fidelibus digne et laudabiliter seruiatur, de habundantia pietatis sue merita supplicum excedens, et uota benefactoribus multo maiora tribuat, quam ualeat promereri, desiderantes tamen, reddere populum domino acceptabilem, fideles Christi ad complacendum et quasi quibusdam allectiuis muneribus, indulgentiis videlicet in remissionibus, inuitamus, ut exinde diuine gracie reddantur aptiores. Vt igitur Monostarium Sancti Wencezlai in Lucca, Olomucensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, et a cunctis Christi fidelibus iugiter ueneretur: Omuibus uere penitentibus et confessis, qui ad dictum Monasterium Sancti Wencezlai in singulis subscriptis festiuitatibus, videlicet ipsius Sancti Wencezlai patroni, in cuius honore ipsum Monasterium est fundatum, nec non (Theodoricus in confirmatione adjecit: natiuitatis, Resurrec-

tionis, ascensionis domini et Pentechostes, ac in quatuor festiuitatibus Beate Marie Virginis, scilicet) Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis et Asumptionis, Sanctorum Petri et Pauli et aliorum omnium apostolorum, in Commemoratione omnium sanctorum, Johannis Baptiste, et Euangeliste, Stephani, Laurentii Martirum, Nicolai et Martini confessorum; sanctarumque Catarine, Cecilie, Lucie et Margarete Virginum, Marie Magdalene festiuitatibus, in Consecratione dicte Ecclesie, et per earundem Octauas festiuitatum deuote accesserint annuatim, uel qui ad fabricam, Luminaria, Ornamenta seu alia necessaria ipsius Monasterii manus porrexerint adiutrices, uel qui in bona sui corporis sanitate seu etiam in extremis laborantes quicquam suarum legauerint facultatum monasterio prelibato, aut qui misse, sermoni Abbatis uel Prioris dicti Monasterii interesse uoluerint, uel qui presbyterum prefati Monasterii, corpus Christi ad infirmos deportantem spiritu humilitatis secuti fuerint, nos de Omnipotentis Dei misericordia et gloriose uirginis Marie ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, meritis et auctoritate confisi, singuli nostrum singulas quadraginta dierum indulgentias de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus, dummodo diocesani uoluntas ad id accesserit et consensus. In cuius rei testimonium presentes litteras nostrorum sigillorum fecimus appensione muniri. Datum Rome Anno domini Millesimo Ducentesimo Nonagesimo Nono. Pontificatus domini Bonifacii pape VIII. Anno Quinto.

Nos Theodericus, dei gracia Olomucensis Episcopus infra scriptas indulgentias Reuerendorum in Christo patrum Episcoporum auctoritate ordinaria confirmamus, et ratas habemus, Sigillum nostrum in testimonium confirmationis, ratificationis et consensus huiusmodi adhibentes, et XL. dies una cum predictis patribus similiter adiicientes de proprie uere penitentibus et confessis.

Orig. F. 12. in archivo ejusdem monasterii. (2 sig. laesa supersunt.)

CV.

Ulricus de Novocastro monasterio Welehradensi jus patronatus ecclesiae in Zlabnis (Slavonice) cum capella confert. Dto. in Welehrad XIII. Kalend. Aprilis. 1299.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Quoniam, sicut ait apostolus, qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet, nulli dubium est, illum felicissimum et prudentissimum fore, qui propter Christum in terris sic seminat temporalia, ut in extrema mundi messe gaudia colligat nulla vmquam temporum longitudine finienda. Hac studiosa rerum vtilium habita consideracione Nos *vlricus* dictus *de nouo Castro* nostri iuris rerumque nostrarum liberam habentes administracionem accedente pari consensu et assensu matris nostre karissime, domine *Marie* aliorumque, quorum interest scire et tractare nostra negocia, in remedium anime domini *Henrici* attaui nostri pie ac honorande recordacionis, sepulti in Welegrad, a quo nos et omnis nostra postèritas plurima percepimus beneficia, ius patronatus ecclesie nostre in *Zlebnis* cum capella, postquam nobis de iure et de facto vacauerit, monasterio *Welegradensi* seu seruis dei inibi degentibus cum omnibus ad predictam eclesiam et Capellam pertinentibus officiosa et libera donacione conferimus possidendum in perpetuum in hiis scriptis, ut fratres antedicti monasterii pro nostra parentumque nostrorum et successorum nostorum nos sequencium salute deum et dominum omnium teneantur iugiter et fideliter exorare; hanc vero solam condicionem religiosa nobis deuocione seruandam a fratribus domino Johanne priore, Nicolao celario, Martino custode, Alberto camerario, *Wernhardo de Pritluk*, Paulo suppriore accepimus, vt si forte, quod absit, pater in Christo wenerabilis Chunradus abbas Welegradensis, cuius personalis cognicio et affabilis benignitas nobis non modicum generaliter ad ordinem et specialiter ad domum Welegradensem intentum tribuit, spontanea voluntate seu eciam accedentibus preceptis et mandatis quibuscunque regularibus superiorum patrum et visitatorum a regimine abbacie sue cesserit, memoratam ecclesiam et capellam pro commodo suo ad extremum vite sue cum omnibus vtilitabibus et vsufructibus debeat possidere; domino autem, qui terminos

hominum, quos transgredi non licet, distinxit et posuit, ipsum ab hoc seculo euocante, ius patronatus sepedicte ecclesie et capelle iterum deuoluetur ad predictum monasterium pleno iure. Vt autem rerum actarum et nostre donacionis approbacio perpetuam obtineat firmitatem, presentes litteras exinde conscribi fecimus autentici nostri sigilli munimine consignatas. Datum in Welegrad Anno domini MCCXCVIIII. XIII. Kalendas Aprilis.

E Cod. Welehr. fol. 5-1.

CVI.

Frater Antonius de ordine Minorum, episcopus Chenadiensis ecclesiis B. Mariae virginis in Zabrdowic et Kiritein indulgentias confert. Dto. Brunae fer. V. post quindenas Paschae 1299.

Frater Antonius, de Ordine Minorum, Dei Gratia Episcopus Chenadiensis. Omnibus Christi fidelibus, presentem Paginam inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Dum sancta Mater Ecclesia, deuotionum filios, inter cetera charitatis opera, indulgentiarum solatio gaudeat refouere, ut eorum deuotio recipiat incrementum salutis sempiterne. Nos proinde de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, precibus confisi, meritis singulorum charitatiue occurrere volentes, vt tenemur, omnibus, quicunque ad Ecclesiam Beate Virginis in Zabrdouicz, et in Kerenthein existentem, quotiescunque, et quandocunque deuotionis causa conuenerint, vel accesserint, missarum solennia in ea audiuerint, de fisco Diuine pietas, auctoritate nobis commissa, quadraginta dies indulgentie, misericorditer damus, concedimus, et erogamus, dummodo interueniat consensus Episcopi Diöcesis. In cuius perpetuam firmitatem, et memoriam, presentes fieri fecimus, munimine nostri sigilli roborando. Datum in Bruna, Quinta feria, proxima post quindenas Pasche Anno Domini M. CC. XC. nono.

E codice Zabrdowic. — et in annalib. ejusdem monasterii.

CVII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, confirmat ecclesiae Olomucensi villas Cryzow et Bradlna, quas Albertus de Sternberg in recompensationem damnorum illatorum (cfr. 1281) contulerat. Dto. Brunae II. Idus Maji 1299.

Nos Wencezlaus, dei gracia rex Boemie. dux Cracouie et Sandomerie, Marchioque Morauie. Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod cum quondam Albertus de Sternberch in recompensacionem dampnorum, qne Olomucensi ecclesie in bonis eius intulerat et pro anime sue remedio eidem ecclesie villas suas dictas Cryzow et Bradlna, cum agris cultis et incultis, pratis, pascuis, montibus planis, aquis aquarumue decursibus, piscacionibus, molendinis, siluis, nemoribus, venacionibus et omnibus aliis iuribus utilitatibus et pertinentiis earundem dederit, ac donauerit per dictam ecclesiam iure proprietatis possidendas, perpetuo et habendas. Nos principaliter propter deum, et ob reuerenciam beati Wencezlay patroni ac honorabilium virorum Budizlay decani, Cyri, prepositi et capituli ecclesie predicte supplicaciones per eos nobis factas, dictam villarum ipsarum donacionem ratam habemus et gratam ac ei nostrum benigne prestamus assensum; volentes ut ecclesia predicta villas easdem imperpetuum teneat ac possideat pacifice et quiete. Adicimus eciam ad maioris gracie cumulum, vt ville predicte ac pauperes in eis residentes, ea gaudeant libertate qua pauperes in aliis villis et bonis ipsius ecclesie gaudere noscuntur. In cuius rei testimonium presentes litteras exinde scribi et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Brunne per manus venerabilis Petri Basiliensis episcopi prepositi Wissegradensis et regni Boemie cancellarii principis nostri dilecti. Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo nono. II. Idus Maii. XII. indiccionis regni nostri anno secundo.

Ex orig. in arch. cap. Olom.

CVIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterium S. Clarae Olomutii in suam protectionem suscipit, et ab omni alia jurisdictione eximit. Dto. Brunae II. Idus Maji 1299.

Nos Wenceslaus, dei gracia Rex Boemie, dux Cracouie et Sandomirie, Marchioque Morauie, notum esse uolumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos Abbatisse monialium monasterii Ordinis Sancte Clare in Olomucz supplicationibus benigni inclinati, propter Deum principaliter, et mee ac recolende memorie Domini Ottukari, Illustris Regis Boemie primi, patris nostri, animarum remedium, Abbatissam ipsam cum monialibus et monasterio predicto, et pauperibus, in bonis predicti monasterii residentibus, sub regia nostra protectione suscipimus speciali, easque ab omni provincialium et ciuitatum nostrarum Iudicum et Beneficiariorum ac aliorum officialium quorumcumque iurisdictione ac proprietate liberaliter eximimus, et esse uolumus in perpetuum liberos ac exemptos, ita, quod per nullum alium quam per nos vel camerarium nostrum Morauie, qvi pro tempore fuerit, vel alium, cui nos duxerimus committendum, pro qvacunque causa pauperes ipsi citentur, vel etiam iudicentur, nec citati teneantur coram aliis respondere. Quocirca presentium serie districte precipimus nostris fidelibus vniuersis, ut nullus eorum Abbatissam seu moniales et pauperes supradictas contra huiusmodi protectionis, exemptionis et gracie nostre tenorem impedire uel molestare presumat, seu aliqua seruitia vel subsidia indebita reqvirere ab eisdem, sicut indignationem nostram desiderat euitare. In cuius rei testimonium presentes litteras exinde scribi et sigillis Maiestatis nostre iussimus communiri. Actum Brunne per manus uenerabilis Petri, Basiliensis Episcopi, Prepositi Wissegradensis, et Regni Boemie Cancellarii, Principis nostri dilecti. Anno Domini M. CC. XCIX. II. Idus Maii. XII. Indictione. Regni nostri Anno secundo.

E copia in archivo ejusdem monasterii.

CIX.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, in remedium animae patris sui Otakari monasterio S. Clarae Znoymae villas Tasowice et Hodonice sub sigillo post coronationem de novo dat et confert. Dto. Brunae II. Idus Maji. 1299.

Nos Wenceslaus, dei gratia Rex Boemie, Dux Cracouie et Sandomerie Marchioque Morauie. Notum esse uolumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod Nos olim in nostre ac recolende memorie domini Illustris Regis Boemie, charissimi Patris nostri, animarum remedium Abbatisse et Conuentui Monialium Monasterii Ordinis S. Clare in Znoym villas nostras Tassovitz et Hedenitz, prope dictam ciuitatem Znoym sitas, duximus conferendas, dato super hoc eis priuilegio antiquorum sigillorum nostrorum, quibus ante coronationis nostre tempora utebamur, munimine roborato. Porro quia pro parte Abbatisse et Monialium predictarum iuxta formam constitutionis nostre, de representandis nobis litteris seu priuilegiis quibuscunque sub donationibus vel gratiis quibuslibet, sub sigillis predictis personis quibuscunque concessis, edite, post coronationem nostram Prage in colloquio generali nobis infra statutum ad hoc terminum fuit predictum priuilegium resignatum: Nos recepto priuilegio ipso, ne ulterius Abbatisse et Moniales predicte in iudicio uel extra iudicium exhibere uel ostendere teneantur, villas predictas cum agris, pratis, syluis, molendinis, pomeriis, piscationibus, uineis, iuribus, libertatibus, redditibus et ipsarum pertinentiis vniuersis, dictis Abbatisse et Monialibus ac Monasterio de nouo damus et conferimus de gratia speciali, per eas et Conuentum predictum proprietatis iure perpetuo possidendas. Ad maiorem quoque gratiam pauperes tam in predictis villis quam in bonis aliis predicti Monasterii residentes ab omnium prouincialium et ciuitatum nostrarum, iudicum et beneficiariorum ac aliorum officialium quorumcumque iurisdictione ac potestate liberaliter eximimus, et esse uolumus in perpetuum liberos ac exemptos, ita quod per nullum alium quam per nos vel per camerarium nostrum Morauie, qui pro tempore fuerit, uel alium, cui nos duxerimus committendum, pro quacumque causa pauperes ipsi citentur uel etiam iudicentur, nec citati teneantur coram aliis

respondere. In cuius rei testimonium presentes litteras exinde scribi, et sigillis Maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Brune, per manus Venerabilis Petri, Basiliensis Episcopi, prepositi Wissegradensis, et regni Boemie cancellarii, principis nostri dilecti. Anno Domini Millesimo Ducentesimo nonagesimo nono, II. Idus Maii XII. Indictionis, regni nostri anno secundo.

Ex copia vidim. in archivo S. Clarae Znoym.

CX.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, monasterio S. Clarae Znoymae in remedium animae sororis suae Agnetis, ducissae Austriae, villam Wejrowice confert. Dto. Brunae Idus Maji. 1299.

Nos Wenceslaus, dei gracia Rex Boemie, Dux Cracouie et Sandomerie, Marchioque Morauie. Notum esse uolumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod Nos principaliter propter Deum et felicis recordationis domine Agnetis, illustris Ducisse Austrie, charissime sororis nostre, animarum remedium villam nostram dictam Weirowitz, sitam in uillicatione nostra Znoymensi, cum hominibus, agris, pratis, syluis, molendinis, pomeriis, piscationibus, uineis, iuribus, libertatibus et redditibus et ipsius pertinentiis vniuersis Abbatisse et Conuentui Monasterii Monialium Ordinis S. Clare in Znoyma conferimus de gratia speciali propter Abbatissam et Conuentum predictos perpetuitatis iure in perpetuum possidendam; volentes et statuentes, ut homines predicte uille illa, qua homines alii aliorum bonorum predicti monasterii gaudere noscuntur, utantur et gaudeant libertate. In cuius rei testimonium presentes litteras exinde scribi, et sigillis Maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Brune per manus Venerabilis Petri, Basiliensis Episcopi, prepositi Wissegradensis, et Regni Boemie Cancellarii, principis nostri dilecti. Anno domini Millesimo Ducentesimo nonagesimo nono. Idus Maii, VII. Indictionis, Regni nostri anno secundo.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CXI.

Wenceslaus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, innovat monialibus ad S. Petrum Olomucii privilegium super molendinum sub monasterio situm. Dto. Brunae V. Nonas Julii. 1299.

Nouerint vniuersi tam presentes, quam futuri. Quod nos illustrissimus Wenceslaus secundus dei gratia rex boemie dux Cracouie Sandomerie Marchio morauie deo dicatis uirginibus in preurbio Olomucz ad ecclesiam sanctorum Petri et Pauli apostolorum Ordinis sancti Augustini in sancta professione commorantibus et deo famulantibus cupiens particeps fieri orationibus ipsarum et circumspiciens priuilegiales literas per donationem suorum predecessorum wetustate decessuras super molendinum situm sub monasterio sancti Jacobi Olomucz super Morauam constitutum et aliud desertum ultra obstaculum dicti molendini positum cum utrisque ripis incipiendo sub castro cuius westigiam dignoscitur in fluuio moraue atenus esse sub burgo ecclesie sancti blasij ibidem limitando cum pomerijs, pratis et praytis ortis et pascuis piscacionibus, curticulis semitis et limitibus agris culturis cultis uel incultis cum omni iure et pleno dominio perpetuis temporibus duraturum. Taliter mandans, quod omnia bona huius monasterii hic et alibi sint libera ab omni inquietatione et defensa nostre gracie sub obtentu omnibus camerarijs terre castellanis provincialibus precipimus omnibus officialibus nostris in ciuitate Olomucz siue in preurbio quibuscumque nominibus preponuntur ab omni infestatione, et a quolibet grauamine indebito de castrorum edificatione, et fossati ab omni beneficiariorum nostrorum violentia et tyranide ab omni wectigalium impedimento, indebite seruitutis honeribus, ab omni etiam censu principum et tributorum et a qualibet iniuria. Si autem furem deprehendi contingeret, in ejusdem bonis statuimus ipsum furem tradi in custodia curie principis bona autem furis integra maneant domicelabus ad succursum inopie ut inde pro arbitri sui disponant libera voluntate. Si vero aliquid ibi furtum inveniatur uel homicidium perpetratum fuerit, inhibemus omnimodis grauamen a castro in bonis ipsarum fieri et predam vyolentam, quam alias solent exerceri penitus interdicimus, sed omnia maneant inconcussa domicelabus in laudibus

die ac nocte dei vigilantibus. Datum Brunne per manus venerabilis petri Basiliensis episcopi Wyssegradensis prepositi et regni Boemie cancellarij principis nostri dilecti. Sub anno incarnationis domini millessimo, ducentessimo nonagessimo nono, quinto nouembris (nonas) Jullii XII. indictionis regni nostri anno tercio.

Ex orig. sublesto in arch. archiep. Olomuc.

CXII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, Pharcassoni silvam circa Braunsberg exstirpandam, et civitatem Pharcastadt locandam in feudum confert. Dto. Olomutii III. Kalend. Octobris. 1299.

Nos Theodoricus, dei gracia Olomucensis episcopus. Notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, tam presentibus quam futuris, quod nos de consilio dilectorum fratrum nostrorum, Budislai decani, Ciri prepositi, Friderici archidiaconi, totiusque capituli nostri Olomucensis siluam nostram ultra Brunsberg sitam, ad LX laneos de spacio continentem, tangentem ab vna parte metas silue, quam Gerlaco tradidimus ad locandum, et ab aliis partibus se protendentem ad metas silue Canonicorum *Cremsiriensium* et comitum de Friburg, damus ad locandum et conferimus in feodum Pharcassoni, filio domini Lupi de Naztil, et heredibus ejus filiis duntaxat, cum omnibus vtilitatibus et prouentibus, qui possunt in predicta silua fieri tempore succedente, tam in molendinis, quam agris, piscationibus, pratis, pascuis et rubetis, et ceteris vtilitatibus quibuscunque ad habendum, tenendum, vtendum, et quiccunque saluo iure fidelitatis exinde placuerit faciendum; saluo etiam aurifodio vel argenti, salis vel cuiuscunque alterius metalli, quod ad nos, tantummodo si emerserit, volumus pertinere. Verum ut idem Pharcas et heredes eius per exhibitionem certi obsequii se homines esse nostre ecclesie recognoscant, hoc onus eis imponimus, ut idem Pharcas in uita sua et heres eius, qui succedit eidem, cum silua illa redacta fuerit in bona censualia, cum uno tantum dextrario nobis et successoribus nostris de predictis bonis debeant deseruire. Preterea volumus, ut in illa silua instituat et locet ciuitatem, quam nomine suo Pharcastat

nuncupabit. Testes autem huius donationis nostre in feodum sibi sunt hii: Budislaus decanus, Cirus prepositus, Fridericus archidiaconus, prelati. Ranocirus, Petratus, Leo, Techoncius, et magister Wernherus, canonici. Bohuslaus de Crazna, Nicol de Gelss, et Hennyngus de Vroluz, milites. Gerlacus de Hoczenplocz, Franco de Modericz, et Dyetricus de Pustmyer, fideles nostri, et ceteri quam plurimi fide digni. Et nichilominus ad robur perpetuo valiturum presentes litteras exinde fieri, et tam sigillo nostro quam capituli nostri fecimus roborari. Datum Olomuz. Anno domini M. CC. LXXXX. IX. IH. Kalendas Octobris.

E cod. chart. p. fol. 90. in archivo archiepiscop. Olomuc.

CXIII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, decidit litem inter Theodricum Srollonis et pauperes de Slawonjn ratione census dandi. Dto. Olomutii XII. Kalend. Novembris. 1299.

Nos Theodericus, dei gracia Olomucensis episcopus notumfacimus vniuersis, et presentibus protestamur, quod nuper, cum inter Theodricum, Srollonis ecclesie Olomucensis ex una, et pauperes de Slawonyn, qui sunt homines nostre ecclesie Olomucensis, ex parte alia questio exorta fuisset de quibusdam exactionibus inordinatis, quibus idem Theodricus Srollonis dictos pauperes de Slawonyn minus iuste molestare et offendere nitebatur, dicens, se posse steuram seu exactionem ponere super eos, quandocunque placeret, et quoscunque vellet, et cum satis diu inter se in nostra presentia litigassent, de tali inconuenientia, videlicet quandocunque et quocienscunque vellet, miserti pauperum predictorum interposuimus partes nostras de consilio nostrorum Canonicorum, et eosdem cum predicto Th. concordauimus in hunc modum: Quod predicti homines de Slawonyn de cetero semper et heredes eorundem pro censu et steuris et pro iudiciis generalibus, que panthedinc vulgariter appellantur, inclusis thabernis duabus, que illic esse ab antiquo consueuerunt, de tota villa Slawonyn tenentur, Th. sepedicto dare omni anno viginti quinque marcas argenti daturi in Morauia Olomucensis ponderis, et hoc diuisim, videlicet in festo b. Georii duo-

decim marcas cum dimidia, et in festo b. Michaelis tantumdem; et de omni timore pene seu culpe, quod vulgariter Anelbare dicitur, in communi seu generali iudicio liberi debent esse; excepto, si aliquis eorum delinquit uel specialiter excedit, ille specialiter, secundum quod iustum fuerit, puniatur, tamen gracia mediante. Preterea si alique sententie in iudicio emergerent, quas ipsi inuenire nescirent, illas sententias in Pustmir afferre tenentur, secundum quod illic a iuratis seu scabinis fuerint informati, et propter hoc nullam penam seu culpam incurrent. Insuper tenentur de quolibet laneo metere duodecim congeries seu sexagenas, sex videlicet de hyemalibus, et sex de estiualibus, et ad gramina falcanda tenentur de quolibet laneo mittere falcatorem. Tenentur eciam ad Curiam memorati Srollonis, quam habet in Slawonyn, annonam messem totam inducere et non falcatam, et postquam inducta per eosdem fuerit, si triturabitur per trituratores sepedicti Srollonis, iuducere in ciuitatem et non alias tenebuntur. Judex etiam dicte ville Slawonyn, et quidam ortus soluens in censu medium fertonem excepti sunt ab omni contributione illarum XXV marcarum. Alia omnia, que sunt in sepedicta uilla, ad illas XXV marcas contribuere tenebuntur. Et ne futuris temporibus predicta nostra ordinatio seu concordia per successores nostros vel dicti Srollonis valeat immutari, vel per aliquem alium irritari, presentem litteram tam nostro quam capituli nostri sigillis ad firmiorem rei memoriam fecimus roborari. Testes huius concordie et nostre ordinationis sunt: Budislaus decanus, Cyrus prepositus, Fridericus archidiaconus, prelati. Magister Wernherus. Magister Ambrosius. Magister Martinus. Ranocirus. Thecontius et Andreas Canonici. Protywa de Zabirsy, Henricus de Modricz, et Johannes de Vzow milites. Vnka, nepos noster de Planyzs, Bohuslaus de Luzan, famuli, et alii quam plurimi fidedigni. Actum et datum in Olomucz. anno domini M. CC. LXXXX. XII. Kalendas Novembris.

E vidim. 1408 — in arch. Carthus. Olomuc. G. III. 11.

CXIV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confert advocato Osoblahensi silvam ultra Friedeberg ad fluvium Ostraviam exstirpandam. Dto. Olomutii XII. Kalend. Novembris. 1299.

Nos Theodericus dei gracia Olomucensis Episcopus. notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis tam presentibus quam futuris. quod nos considerantes diuturna seruicia, que fidelis noster Gerlacus de Hozzobla predecessori nostro exhibuit, et ea que nobis et successoribus nostris cum heredibus suis in futurum poterit exhibere, de consilio dilectorum fratrum nostrorum Bvdislay decani. Cyri prepositi. Friderici archydiaconi, tociusque capituli nostri Olomucensis pariter et assensu, nemus sev siluam nostram episcopalem, vltra Frideberch sitam, de qua usque in hanc horam nullam habuimus penitus vtilitatem, tangentem ab vna parte metas silue sev terminos, illustris ducis domini Meskonis de Tessyn, sicilicet fluuium Ostraviam, qui fluuius inter bona dvcalia ab antiquo, et nostra bona episcopalia fuit et est, terminus siue meta, vsque ad metas sev terminos Vngarie, ipsum fluuium Ostrauiam linealiter ascendendo, ab alia parte vero pertingentem vsque ad metas Nobilium virorum Comitum de Vriburch, usque ad fluuium Cedliz. Tangentem etiam metas canonicorum nostrorum *Chremsyrensium*, contra villam Mohtil, et terminos dominorum de Crazna. Illam totalem siluam damus, tradimus et conferimus predicto fideli nostro Gerlaco de Hozzoblà, et heredibus suis legitime descendentibus ab eodem masculis duntaxat, ad locandum, plantandum exstirpandum et vtilem quocunque modo sciuerint, vel poterint faciendum, in feodum concedimus et iure feudi, ad habendum tenendum, et possidendum; et exinde saluo iure fidelitatis quicquid potuerint faciendum. Hac tamen distinctione et conditione interiecta, quod ipse Gerlacus et legitimi heredes filii sui duas partes bonorum illorum et vtilitatum, que in prefata silua facient vel fieri possunt sev procurari per eosdem, tenere debeant in feudum et habere, titulo et nomine iusti feudi et consueti, et ea pacifice ac perpetuo possidere. Nobisque et successoribus nostris qui pro tempore fuerint, sev ecclesie nostre Olomucensi, de illis bonis, postquam plantata, locata et censualia

iam facta fuerint debeant expedite cum falerato dextrario deseruire. Terciam autem partem bonorum illorum omnium et utilitatum que in eodem nemore siue silua fiunt per eosdem sev valent aliqualiter procurari, ad nos et successores nostros, et ad nostram per consequens ecclesiam Olomucensem volumus pertinere. Saluo tamen eo, quod iidem Gerlacus et sui heredes habebunt et habere debent regimen tercie partis nostre et iudicium, sicut suarum duarum parcium predictarum cum omni iure, excepto quod fructus et prouentus exinde prouenientes, siqui deriuari de parte tercia poterunt, nobis et successoribus nostris tenentur ex integro fidelissime presentare. Vt vero super hoc nullus ambiguitatis scrupulus oriatur, sed stabile ac firmum in perpetuum quod fecimus perseueret, presens scriptum tam nostro quam capituli nostri sigillis fecimus roborari. Testes etiam huius feudi nostri sunt hii. Bvdyzlaus decanus. Cyrus prepositus. Fridericus archydiaconus. prelati. Magister Ambrosius. Andreas et Techontius canonici. Paulus camerarius noster. Nycolaus de Schowenbvrch. et Bohvzlaus de Crazna milites. Lvdco, Conradus et Herbordus de Sechowiz famuli, et alii quam plurimi clerici et layci fide digni. Datum in Olomuz anno domini Mill. Ducent. Non. Nono. XII. Kalendas Nouembris.

Ex orig. cum duobus sigillis integris in archivo archiepiscopali Cremsir.

CXV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, indulgentias monasterio Rayhradensi a pluribus episcopis elargitas confirmat. Ao. 1300.

Uniuersis sancte matris ecclesie. ad quos presentes littere peruenerint — Nos miseracione diuina. Basilius Jerosolimitanus archiepiscopus. Adenulphus consanus archiepiscopus. Adam Maturanus. Thomas Etesiensis. Angelus puteolanus. Nicholaus Epicortibulensis. Episcopi. salutem et sinceram in domino caritatem. Splendor paterne glorie qui sua mundum illuminat ineffabili claritate. Pia uota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperancium tunc precipue benigno fauore prosequitur deuota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuuatur. Cupientes igitur ut ecclesia santi Petri in Raygrad. Olomocensis diocesis congruis honoribus fre-

quentetur et a Christi fidelibus iugiter ueneretur. Omnibus vere penitentibus et confessis qui ad dictam ecclesiam causa deuocionis. oracionis vel peregrinationis accesserint vel ibidem diuinum officium seu uerbum exortacionis audierint mente pia vel qui ad sustentacionem luminarium vestimentorum aut ad alia necessaria dicte ecclesie manus porrexerint adiutrices vel qui in extremis laborantes quicquam facultatum suarum legauerint dederint. procurauerint assignauerint. nec non qui pro animabus omnium fidelium defunctorum oracionem dominicam cum salutacione angelica in dicta ecclesia quocienscumque quandocumque humiliter et deuote dixerint. Quilibet nostrum singillatim quadraginta dies de iniunctis sibi penitenciis. Dummodo loci diocesanus hanc nostram indulgenciam ratam habuerit misericorditer in domino relaxamus. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillorum nostrorum nostrorum (sic) munimine duximus roborandum. Datum Rome anno domini. millesimo tricentesimo. Pontificatus domini Bonifacii pape octaui anno sexto.

Nos Theodericus dei gracia Olomucensis episcopus indulgencias infra scriptas archiepiscoporum et episcoporum ecclesie sancti Petri in Reygrad elargitas. Ratas et gratas habemus et eas per appensionem sigilli nostri. auctoritate ordinaria perpetuo confirmamus. de nostro addicientes dies indulgencie eidem ecclesie quadraginta.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CXVI.

Theodericus, episcopus Olomucensis, villam Paskow dat permutationis et feudi titulo Joanni Stangoni pro ejusdem bonis feudalibus in Liebenthal. Dto. in Pustoměř, III. Idus Januarii 1300.

Nos Theodoricus dei gracia Olomucensis episcopus. Notum facimus vniuersis presentes literas inspecturis, tam presentibus quam futuris. Quod nos de consilio, fauore et assensu dilectorum fratrum nostrorum Budyzlai decani. Cyri prepositi. Friderici archidyaconi ac tocius capituli nostri Olomucensis villam nostram Pascow, vltra Stariz sitam. cum siluis. pratis. piscacionibus. rubetis. agris cultis, et incultis et vniuersis aliis iuribus ad

nos pertinentibus in eadem, dedimus fideli nostro Johanni Stangoni. pro bonis suis, que in Lybental ab ecclesia nostra tenuit et que de antiquo feodo existebant. secum de plano pure et simpliciter permutando. quia bona predicta in Lybental melius et propinquius adiacent ciuitati nostre Hocenploz, et plus vti poterimus de eisdem, quia informata iam sunt, censualia plantata. concedentes ac conferentes dicto Johanni Stangoni, et heredibus eius, masculis duntaxat, legitime descendentibus ab eodem, eandem villam Pascow. in feodum et iure feodi, ad habendum, tenendum, fruendum, possidendum, et quicquid exinde placuerit, saluo iure fidelitatis, perpetuo faciendum. hoc onus sibi et suis heredibus inponentes. vt de memorata villa Pascow. nobis et successoribus nostris debeant cum expedito dextrario deseruire. Et ne aliquis scrupulus ambiguitatis, sibi vel heredibus suis sev questio aliqua super predicta commutacione in futurum valeat suboriri, presentes literas exinde fieri, et tam nostro quam capituli nostri Olomucensis sigillis fecimus communiri. ad rei memoriam sempiternam. Testes huius permutacionis sunt. Paulus camerarius. Vlricus de Ronberch. Hermanuus Claow, Sifridus de Engelsberch, Godfridus de Gebensteth. Henningus de vrolus. et Heydenricus de Vridelanth, milites nostri. Gerlacus de Hocenploz, Franco de Modriz, Theodericus de Pustimir et Arnoldus frater eius. Heynusso de Ronberch. et Pertoldus frater eius. Gerhardus Claow. et Petrus de Dewiz. et alii quam plurimi, fideles nostri. et ecclesie Olomucensis. Datum in Pustomir anno domini M. CCC. III. ydus Januarii.

Ex orig. in archivo archiepiscop. Cremsirii.

CXVII.

Welislaus de Ořechow monasterio Welehradensi suam vineam, duas curticulas et pomerium in Ořechow legat. Dto. XIV. Kalend. Junii. 1300.

In nomine domini amen. Quia maiorum sanxit auctoritas vt ea. que cum industria et deliberatione pro tempore ordinantur debeant scriptis et testimoniis memorie commendare, horum vestigiis inherendo Ego Welizlaus

de Orechow, significo presentium per tenorem christi fidelibus vniuersis, quod dominus Abbas et Conuentus Monasterii de *Welegrad* habentes duos laneos siue mansos in predio conorationis mee iam prefato liberos ab omni exactione et inpetitione cuiuslibet absolutos, iuxta desiderium meum et peticionem pro vtilitate mea et fructu vsuario michi conceduit ad vitam meam tamen et conferunt possidendos. Sub hac forma vt post consummationem vite mee, de voluntate coniugis mee ac filiorum meorum assensu vnanimi scilicet Wellzlay et Mirsezchs de laneis supradictis cum omnibus prouentibus vel vtilitatibus que super ipsos locata poterunt inueniri videlicet pecoribus maioribus et minoribus vnacum curia, equis et annona tam in curia quam in agros dominus abbas et conuentus debet se libere intromittere ac perpetuo possidere nullius temeritate prepediente penitus vel obstante. Preterea ob gratiam michi factam et fauorem specialem ac in remissionem peccaminum meorum nec non in remedium anime mee offero eidem monasterio vineam vnam locatam in predio sepius memorato et duas curticulas que ad hortos olerum satis valent ac pomerium vnum, hec cum supradictis bonis post terminum vite mee conuentus eclesie Welegradensis similiter de voluntate et assensu familie mee debet sibi libere vendicare. Acta sunt hec coram testibus quorum nomina hic exprimuntur. Dominus Zobehird de Schardizc. Ninco de Mistrzizc. Rubertus de Arena. Protiwa de Buchlow. de conuentu vero. Johannes Prior. Paulus Supprior. Nicolaus Cellarius. Albertus Camerarius et Martinus Custos, et alii quam plures viri ydonei et fideles. In cuius rei testimonium presens instrumentum, sigillis videlicet Domini Johannis de Mezirsechs Camerarii Morauie. et domini abbatis sepedicti monasterii, necnon et meo studui diligentius communire. Datum anno domini M. CCC. Indictione XIII. quartodecimo Kalendas Jvnii.

Ex originali cujus sigilla omnia sunt avulsa, in archivo ejusdem monasterii.

CXVIII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, agros de Wolatin inter homines Antiquae villae sub certis oneribus distribuit. Dto. Cremsir in dominica Reminiscere 1301.

Nos Theodoricus, dei gratia olomucensis episcopus. Notum facimus vniuersis. presentes literas inspecturis, tam presentibus, quam futuris. Quod nos agros de Wolatyn. circa antequam villam sitos, et iure ad nos deuolutos. qui estimantur se extendere ad tertium medium laneum vel amplius, damus nostris hominibus de antiqua villa, laneos seu agros habentibus perpetuo, sub onere et seruitio infrascriptis. Vt inter se predictos agros distribuant et diuidant equa lanse. Ita videlicet, qvod vni laneario sicut alteri, et similiter vni curticulario, sicut alteri cedat pars sua. de agris wolatyn supradictis. hec autem erit forma oneris et seruitii de eisdem. Quod homines nostri antique ville, qui nunc sunt, et pro tempore fuerint in eadem. propter vsum dictorum agrorum et vtilitatem. Annonam nostram totam curie, quam habemus ibidem, tam hiemalem, quam estiualem suis sumptibus metere in campis et in horreum introducere tenebuntur, et nos nihil cum negotio annone huiusmodi amplius facere habeamus. Excepto quod colonus noster curie predicte quicunque fuerit annonam postquam messa fuerit in campis componere in congeries siue capecia, et exicrare, si necesse fuerit, debeat, sicut requirit officium colonorum. Preterea iidem homines de agris memoratis Wolatyn inter se iam distributis et diuisis, ad nullas steuras tenebuntur seu exactiones. Sed tantummodo ad plenas nobis decimas persoluendas. Cum prato autem, quod ad illos agros pertinet, nihil aliud facere habebunt, nisi quod fenum postquam per curticularios collectum et compositum fuerit, introducere fideliter teneantur. Insuper volumus quod si nos, vel successorem nostrum aliquos laneos antique ville contigerit infeudare. quod is qui infeudatus fuerit, si agrorum illorum de Wolatyn partim habere voluerit, ad messem curie nostre, ad introductionem annone et foeni, sicut alii teneatur. Quod hec autem omnia et singula predictis hominibus nostris, et eorum successoribus per nos et successores nostros inuiolabiliter obseruentur et nullatenus immutentur, pre-

sentes literas exinode fieri. et nostro sigillo fecimus roborari ad rei memoriam sempiternam. Testes etiam huius rei sunt: Fridericus archidiaconus Olomucensis frater noster. Capellani nostri Henricus de jecter. Martinus de vgezd. Nicolaus de vgezd. Dithmerus de Hulyn. et Henricus de Tracht plebani. Protywa de Honstat. Lupus de Rathays mylites. Herbordus de Podol Laurentius aduocatus de Cremsyr. et alii quam plurimi fide digni. Datum et actum in Cremsyr anno domini MCCCI. in dominica reminiscere.

E copia in archivo archiepiscop. Olomuc.

CXIX.

Wenceslaus, rex Boëmiae, restituit civitati Hradiště villas Kunowice, Langcile et Mikowice. Dto. Brunae V. Nonas Martii 1301.

Nos Wencezlaus, dei gracia Boemie et Polonie Rex. Notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod nos villas dictas Cvnouicz. Langcile et Minoguich Ciuitati nostre Rediss super Morauam in eius prima fundatione per felicis memorie dominum Ottakarum, Regem Boemie, patrem nostrum karissimum, olim adiunctas, sicut hoc in ipsius patris nostri priuilegio oblato nobis per ciues ciuitatis ipsius uidimus contineri. Et postea ex quadam causa rationabili ab eadem ciuitate ammotas, dictis Ciuitati et Ciuibus restituimus, et ad Ciuitatem ipsam volumus inantea perpetuo pertinere, reseruatis nobis et retentis ibidem Curia nostra cum duabus araturis et famulis, villis residentibus in eisdem, hac conditione adiecta, quam dicti Ciues seruare et adimplere firmiter promiserunt, videlicet quod ipsi Ciues, qui prius, dum tenebant villas easdem, quadraginta Marcas argenti, census nomine, de ipsis soluere tenebantur, cum villarum ipsarum sint nunc prouentus adaucti, centum Marcas argenti ad pondus Wiennense soluere in festo Beati Martini nostre Camere annis singulis teneantur. Iudex autem Ciuitatis ipsius, quicunque fuerit, homines tam predictarum trium villarum nostrarum, quam ville Wellegrad .. Abbatis et Conuentus Monasterii Wellegradensis, site circa Ciuitatem ipsam, illam iudicandi habeat potestatem, que sibi super hoc per dictum patrem nostrum

est concessa, et in dicto eius priuilegio continetur. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillis Maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Brunne, per manus venerabilis Petri, Basiliensis Episcopi, Wissegradensis Prepositi, Regnique Boemie Cancellarii, Principis nostri dilecti. Anno domini Millesimo Trecentesimo Primo. V. Nonas Martii. Quartadecima Indictione. Regni nostri Boemie Anno Quarto.

Ex originali in archivo ejusdem civitatis.

CXX.

Theodericus, episcopus Olomucensis, fundat missam maturam in ecclesia episcopali Olomucii. Dto. in Olomuc III. Non. Aprilis. 1301.

Theodoricus dei gracia episcopus Budislaus decanus Cyrus prepositus Fridericus archidiaconus totumque capitulum Olomucensis ecclesie notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris. quod ad instantiam et peticionem dilecti fratris magistri Bernheri plebani de Ruchowan canonici nostri statuimus de vnanimi consilio et ordinamus quod ab hac die de cetero semper illa missa beate virginis Marie que prius in ecclesia .... legebatur amplius in Olomucz nostra ecclesia cum nota per ebdomadarium seu vicarium debeat omni mane sollenpniter celebrari pro eo idem magister Bernherus ad honorem beate virginis Marie et causa proprie salutis ac eciam racione prefate misse ob reuerentiam ipsius domine nostre in ecclesia perpetue habende duarum marcarum et medie redditus in longa villa ebdomadariis perpetue comparauit penam ipsis negligentibus missam ipsam infligendo. que sequitur et remuneracionem cantantibus eandem similiter largiendo videlicet quicunque ebdomadarius illam neglexerit dicere missam nisi per alium suppleuerit vices suas illa tota septimana suis panibus sit priuatus et si obedientiarius ecclesie vltra hoc dare presumpserit ei panes, personaliter cottidiana distributione careat, et illa tota septimana eadem sit priuatus. Si autem ebdomadarius tenuerit et cantauerit ipsam missam sicuti est statutum duos grossos pro laboribus eius per septimanam et illis qui ipsum iuuerint vnum grossum de prouentibus longe ville superius memorate perpetue ordinamus. Quod autem omnia premissa tam ecclesie,

quam ebdomadariis inviolabiliter obseruentur presentem literam tam nostri quam capituli sigillis fecimus roborari ad rei memoriam sempiternam. Actum et datum in Olomucz Anno domini MCCCprimo III. nonis Aprilis.

E Cod. membr. I. f. 50. in archivo capituli Olomucensis.

CXXI.

Smilo de Castello et Eva uxor ejus conferunt monasterio in Řjše (Neureusch) jus patronatus ecclesiae in Antiqua Rusch. Dto. in Řjše. XVI. Kalend. Maji. 1301.

In nomine domini. Amen. Nos Zmilo de Castello et Nos Eua, uxor eiusdem domini Zmilonis, notum facimus uniuersis, ad quos presencium peruenerit noticia litterarum, quod nos vnanimi consensu, deliberacione queque presedente matura, iuspatronatus parrochialis ecclesie in antiquo Rusch, quod hucusque iusto titulo possedimus, in remedium animarum nostrarum ac parentum nostrorum ecclesie conuentuali in Rusch premonstratensis ordinis pure donauimus propter deum pariter et donamus, libere et quiete perpetuo possidendum, renunciantes omni iuri, quod prius in collacione ecclesie habuimus supradicte. Ne autem successorum nostrorum aliquis seu eciam alius qualiscunque predictam nostram donationem, rite ac racionabiliter coram infra scriptis testibus factam, infringere valeat aut turbare, presentes litteras conscribi, et sigilli nostri ac eorundem testium fecimus munimine roborari. Nos vero Wolvramus de Zlatina, hartlibus de Zuseray, Marquardus de Knehniz pretaxate donacioni perhibemus testimonium, sigilla nostra ad peticionem predictorum amborum, domini videlicet Zmilonis et domine Eue, sue coniugis, presentibus apponentes. Actum et datum in Rusch anno domini millesimo trecentesimo primo, sexto decimo Kalendas Maii.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CXXII.

Wenceslaus, rex Boëmiae, donat Reynherio, Apardo et Cynoni, sociis de Florentia, ob fidelia servitia praestita domum et nonnulla alia bona in civitate Brunensi sita. Dto. Pragae IV. Kalend. Maji 1301.

Wenczlaus dei gratia Boemie et Polonie Rex. Etsi ex Regie liberalitatis Clemencia debeamus fidelium nostrorum obsequia grate munificentie premijs compensare, illos tamen amplioribus tenemur premiare gracijs, eisque liberalius beneficia elargiri, qui proprijs postpositis negocijs, nostris die noctuque studiose inuigilant seruicijs et fideliter beneplacitis obsecuntur. Eapropter tenore presencium notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod nos continuam obsequiorum promptitudinem quam fideles nostri dilecti Reynherius, Apardus et Cyno Socii de florencia erga malestatem nostram in nostris seruicijs iam dudum exercuerunt iugiter et exercent, diligentius attendentes, ac volentes eos propter hoc prosequi graciose, Domum nostram in Ciuitate Brunensi sitam, quam ab Ekhardo filio quondam Eberhardi magistri monete propria pecunia comparauimus, cum fundo seu area domus ipsius, ac edificijs, Curia et alijs suis pertinencijs vniuersis, nec non duo molendina sita ante dictam Ciuitatem super aquas dictas Swarczaua et Switaua habentia nouem rotas, que ab Henningo Ciue dicte Ciuitatis nostra etiam pecunia emimus, cum Casa inter ipsa molendina constructa que uulgariter Walkymul dicitur, ac domibus et areis, Ortis, Pomerijs Piscacionibus et omnibus alijs utilitatibus, iuribus et pertinencijs eorumdem, dictis Reynherio Apardo et Cynoni damus conferimus et donamus de gratia speciali, per eos et heredes ipsorum iure proprietatis et hereditario in perpetuum tenenda, habenda et possidenda pacifice et quiete. Concedimus eis nichilominus plenam et liberam facultatem ipsam Domum et molendina predicta cum suis pertinencijs supradictis vendendi, donandi, obligandi, alienandi et disponendi ac faciendi de ipsis tamquam de re propria quicquid eorum placuerit voluntati. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et Sigillis majestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage per manus Venerabilis Petri Basiliiensis Episcopi Wissegradensis Prepositi, Regnique Boemie Cancellarij, Principis

nostri dilecti. Anno domini Millesimo. Trecentesimo Primo. IIII. Kalendas Maij. Quartadecima Indiccione. Regni nostri Boemie Anno Quarto.

Ex originali in archivo monasterii Rayhradensis cum sigillo ex parte tantum vitiato.

CXXIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et Poloniae, monasterio Welehradensi piscationem suam in flumine Morava circa villam Kostelan donat. Dto. in Welehrad IV. Kalend. Augusti 1301.

Nos W. dei gracia Boemie et Polonie Rex notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod nos ob specialis deuocionis affectum, quem ad ordinem Cisterciensem et eius professores ac specialiter ad monasterium Welegradense ipsius ordinis et abbatem conuentumque dicti monasterii habuimus hactenus et habemus, volentes affectum huiusmodi erga abbatem et conuentum ostendere per effectum, eorum supplicacionibus inclinati *piscacionem* nostram *in flumine* dicto *Moraua circa* villam ipsorum dictam *Costelan* cum iuribus et pertinenciis eius ipsis abbati et conuentui de speciali munificencia nostre gracie conferimus et donamus per eos cum iuribus et pertinenciis ipsis proprietatis iure perpetuo possidendam. In cuius rei testimonium presentes litteras scribi et sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Datum in Welegrad per manum venerabilis Petri Basiliensis episcopi, Wissegradensis prepositi, Regnique Boemie cancellarii, principis nostri dilecti; anno domini MCCCprimo, IIII. Kal. Augusti indiccione XIIII. Regnorum nostrorum Boemie quinto; Polonie vero primo.

E Cod. Welehr. fol. 40. (insert. dipl. de anno 1323.)

CXXIV.

Monasterium ad S. Jacobum Olomucii vendit quatuor laneos in Drozdowice Sydlino et Ortolpho vicariis ecclesiae Olomucensis. Dto. in Olomuc. IV. Idus Augusti 1301.

Nos Adelheydis magistra totusque conuentus dominarum monasterii s. Jacobi in Olomucz. ordinis s. Augustini omnibus presencium notitiam habituris. Sacre religionis ac uite monastice obseruantia quibus mundi spretis voluptatibus voluntaria professione nos deuouimus, eo securius ac deuotius custodire minime dubitamus, quo nobis ac monasterio nostro de edificiis necessariis. et clausuris debitis studiosius prouidemus; Officii etiam nostri debitum non invtiliter exequi conprobamur, si ea que a monasterio nostro cum ipsius sunt dispendio alienata ad ius et proprietatem eiusdem sollicite reuocamus. Hiis igitur mote racionibus, cum ad incepti operis videlicet dormitorii sumptus magnos requirentes quo carere non possumus, ac aliorum murorum pro clausura claustri minus vtilium consumacionem, ac allodii nostri in Repsin. in emphitheosim alienati recuperacionem peruenire commode non possumus, nisi aliquorum bonorum inmobilium minus vtilium vendicionem necessario faciamus. Conuocato capitulo ac tractatu pluries habito diligenti, requisitis etiam reuerendi patris domini nostri Theodorici Olomucensis episcopi sub cuius obedientia viuimus ac honorabilis viri domini Cyri prepositi Olomucensis in cuius gubernacione consistimus, consensibus et optentis; Adhibitis nichilominus sollempnitatibus, que in huiusmodi venditionibus requiruntur. vtilitatem insuper non modicam pretendentes, ac ut premissum est. prospiciendo in posterum meliora quatuor laneos et dimidium quos in villa Drozdowicz sita circa Prosteys censuales habuimus, viris discretis Sydlino et Ortolpho vicariis Olomucensis ecclesie cum omnibus ad eosdem laneos pertinentibus puta curiis areis et vna curticula agros habente pro quadraginta marcis argenti boni Morauici ponderis vendidimus ac dedimus hereditarie possidendos. Et predictas quadraginta marcas argenti per eosdem Sydlinum et Ortolphum tam in argento quam in grossis denariis nobis esse solutas. ac de manibus ipsorum nos recepisse tenore presentium profitemur. Renunciando penitus accioni

seu excepcioni de non facta uendicione predictorum laneorum aut non numerate non ponderate pecunie. seu eciam non solute. In cuius vendicionis nostre ac solute pecunie testimonium et robur perpetue valiturum presens instrumentum fieri fecimus ac sigillis reuerendi in Christo patris domini nostri Theodorici Olomucensis episcopi et honorabilis viri domini Cyri prepositi Olomucensis nec non nostri capituli petiuimus sigillari. Actum et datum in Olomuz anno domini millesimo trecentesimo primo IIII. Ydus Augusti.

Ex orig. in arch. cap. Olom.

CXXV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae in Jakubow, collatum a nobili Eufemia, relicta Wilhelmi pincernae de Wolframskirchen. Dto. in Modřice, in die S. Aegidii 1301.

Theodericus dei gratia Olomucensis Episcopus. Karissimis sibi in Christo Abbatisse et sororibus dominarum in *Oxla,* sinceram in domino caritatem. Cum pie desiderium voluntatis, et laudande prouisionis intencio, pontificalibus sit semper studiis adiuuanda. cura est sollicitudinis adhibenda, vt ea que pro augmento et commodo sacre religionis, sunt disposita uel ordinata. nec dissimulatio negligere, nec quedam valeat presumptio perturbare. Sed id quod voluntarie liberalitatis arbitrium, largitione Christi fidelium deo obtulit. hoc vigor approbationis perpetue, et pontificalis auctoritas corroboret et confirmet. Eapropter dilecte in Christo filie, vestris supplicationibus paterno condescendentes affectu, et promotionem et commodum vestri cenobii piis animis acceptantes. donationem iurispatronatus quam nobilis domina Offemya. relicta Wilhelmi pincerne de Wolframskirch bone memorie, in ecclesia in *Jacobow* vobis et vestro monasterio fecit, cum suis pertinenciis pro suorum remedio peccatorum ratam, et gratam habemus, et eam auctoritate ordinaria confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus. Datum in Modriz anno domini M. CCC. primo. in die Sancti Egidii confessoris.

(Sig. illaesum.) Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CXXVI.

Alsico, filius Alberti de Merln ordinationem patris, quam inivit cum fratribus militiae templi de Tempelstein, ratam habet. Dto. Brunae, in die b. Lucae Evangelistae. 1301.

Notum sit Universis presentes litteras inspecturis, quod ego Alschico filius quondam Domini Alberti de Merln omnem ordinationem ac voluntatem patris mei predicti, quam inivit cum fratribus militie templi de Tempelstain et super qua litteras suas dedit sigillo suo signatas ratam et gratam habeo, nec umquam contravenire verbo vel facto me promitto et heredes meos ratam habere volo. In cuius rei testimonium presentes litteras mei sigilli munimine roboravi. Datum in Brunna anno Domini M. CCCI. in die beati Luce Evangeliste. Hoc etiam testantur per presentes sigillis suis Dominus Gentzo de Naschmaritz et Dominus Dirszlaus Czudarius Znoymensis.

Pelzel Beitrag zur Geſchichte des Templerordens in den böhm. Abhandlungen 1798.

CXXVII.

Theodericus de Fullenstein, canonicus Olomucensis, donat cuidam Conrado fideli suo quoddam remus ad exstirpandum et villam Steinbach in eodem locandam. Dto. in Budišow VII. Kalend. Decembris 1301.

In nomine domini Amen. Quoniam ea, que geruntur in tempore, simul labuntur cum tempore, nisi scripti testimonio vel idoneorum testium robore perennentur. Nos igitur Theodoricus dominus de Fullenstein, Olomucensis ecclesie canonicus, ad uniuersorum tam presentium, quam futurorum notitiam cupimus deuenire, quod cupientes nostros redditus terminorum ampliare, quoddam nemus nostrum fideli nostro Chunrado, ac suis heredibus ab ipso legitime procedentibus contulimus ad exstirpandum, locabitque villam Steinbach nemore in eodem, ibidemque ob recompensationem laborum suorum damus ei villicationem siue Iudicium cum omnibus subscriptis hereditarie et libere possidendum. Et damus ei unum mansum

liberum aratro proprio construendum. Et septimum laneum de ipsius locatione censualem. Et duo molendina cum duabus rotis libere in profundo, quod dicitur Steinbach, collocabit. Et si plures rotas habebit, de qualibet rota, que superaddita fuerit, annuatim nobis pro censu dabit fertonem puri argenti. Et tabernam liberam. Et liberum pistorium. Et liberum macellum. Liberum sutorem. Liberum Fabrum. Et ecclesiam dotamus cum medio laneo libero. Iudex vero secundum laneum medium liberum comparabit, ita ergo de censu carebit, sed rustici eum denariis ipsorum exsoluent. Et tertium denarium de culpis, siue causis iudiciariis habebit. Et medium laneum ad viam gregis et ad pecora mittenda. Et iure Leobschitzensi se regant. Si quid autem dubietatis in judiciis aut sententiis ibidem inter ventilationes quarumlibet causarum contingat, pro sententia definitiua in Wytchenau recurrere tenebuntur. Et duodecim virgas pro laneo habebunt. Et damus omnibus ibidem residentibus XX annorum libertatem. Finitis autem annis libertatis unusquisque laneus nobis in festo Beate Walpurgis unum fertonem puri argenti, et in festo beati Martini unum fertonem puri argenti deseruire tenentur. Et omni anno rustici eiusdem ville tenentur nos quatuor vicibus iuuare in aratura. Ut autem universa et singula prehabita et per nos facta inconcussa permaneant, presens scriptum sigilli nostri fecimus testimonio roborari. Testibus, qui tunc aderant, subnotatis. Chunradus aduocatus in Lubavia. Henricus tabernator. Sifridus braxator. Chunradus Dominus Cyger. Ciues ibidem. Pertoldus in arce. Wygandus de Hoschitz. Ticke braxator. Hermannus sutor — cives in Budischow — et alii quam plures fide digni. Datum in Budischow anno domini Millesimo trecentesimo primo, VII. Kalendas Decembris.

In collectione Pitteriana archivi Rayhradensis G. a. 1. — (e privilegio I. judicis Kunzendorfensis desumtum.)

CXXVIII.

Bolko et Henricus, duces terrae Opaviae et domini Wratislavienses, confirmant literas Nicolai ducis Opaviae super jure patronatus ecclesiae in Jaegerndorf. Dto. Lignicii in die octava b. Polycarpi. 1302.

In nomine domini amen. Nouerint vniuersi, presentem litteram inspecturi, quod nos Bolco et Henricus, dei gracia Duces terre Oppauie et Domini Wratislauie ac de Lignitz, inspecto priuilegio fratrum ordinis Hierosolimitanorum super iure patronatus ecclesie in Jagerndorf, ipsum inuenimus non uiciatum, non cancellatum, sed legitime confectum in hec uerba: Nicolaus, dei gracia dux Oppauie etc. Acta XIII. Kalend. Octobr. 1281. vide T. IV. n. CXCIV. — Considerantes igitur prefati quondam Ducis iustam honestamque intentionem, suadente iustitia, moti predictorum fratrum precibus, predictam donationem, sicut legitime facta est, approbamus, innouamus, et etiam presentibus confirmamus. Actum et datum Lignicii, sub anno domini Millesimo Trecentesimo Secundo in die octaua beati Policarpi, Martyris atque Pontificis; presentibus nostris fidelibus: Domino Gunthero de Ayberstvyn, nostro prothonotario. Joanne de Schiltberg, et Joanne nostro Capellano.

E cop. vidim. in Musaeo.

CXXIX.

Milota de Benešow cum filio Thobia, archidiacono Hradecensi, et nepote Benešio monasterio Welehradensi dimidiam villam Spachendorf vel Leskowec confert. Dto. in Stražnice, VIII. Idus Martii 1302.

Ego *Milota* dictus de *Benessow* vnacum dilecto filio meo *Thobia* archidiacone Grecensi et nepote meo Benesio de Benessow. notum facimus vniuersis litteram presentem inspecturis, quia dedimus in remedium anime mee omniumque predecessorum et successorum meorum dimidiam villam, que vulgariter dicitur *Spatendorf* vel *Leschowicz,* in prouincia Opauiensi et Olomucensi diocesi, omnem vsum et fructum eiusdem ville tam in pratis,

et frater Anthonius ordinis minorum Episcopus Chanadiensis, similiter predictis domibus quadraginta dies omnibus earumdem benefactoribus est largitus. Nos igitur sicut prediximus omnes indulgentias et gratias premissas, et alias si quas habent, ratas habentes, et auctoritate ordinaria confirmantes, et de nostro quadraginta dies indulgentie addentes. Vniuersitatem uestram duximus in domino commonendam, vobis nichilominus parochiarum rectoribus in remissionem peccatorum et in virtute sancte obedientie iniungentes, quatenus, eo quod iuxta apostolum oportet nos omnes exhiberi ante Christi tribunal, vt recipiat vnusquisque prout gessit in corpore siue bonum siue malum. et iuxta ueritatis sententiam eadem mensura qua mensi fuerimus remetietur nobis. Qui enim parce seminat parce et metet, et qui in benedictione seminat de benedictione metet uitam eternam. nuntios domus sancte Clare in Olomuz quam omni deuotione prosequimur ut tenemur, cum ad uos pro petendis fidelium elemosinis veniunt, caritatiue recipiatis amore illius qui dicturus est in iudicio hospes eram, et collegistis me, et negocium domus predicte in ecclesiis vestris fideliter promoueatis, sicut diuinam remunerationem et nostram diligitis graciam et fauorem. Ordinantes ut in vestra absentia per uestras familias recipiantur, et nulla obstante occupatione siue petitione in suis negotiis fideliter promoueantur. Datum in Olomuz. Anno domini Millesimo Trecentesimo secundo, X. Kalendas Junii. Presentibus ad demonstrationis certitudinem et nostre confirmationis auctoritatem, quia periculosum esset et laboriosum nimis litteras bullatas deferre inperpetuum ualituris.

Ex originali, cujus sigillum ruptum, in collectione Ant. Boczek.

CXXXII.

Chadoldus de Wehinge protestatur, quod Wenceslaus de Czuczmans medium molendinum et dimidium laneum in Czuczmans nobili dominae Eufemiae resignavit. Dto. in die b. Vrbani papae et martyris. 1302.

Cum digestis hominum tamquam de naui que fluctibus est exposita sub serenitatis tempore calumpniarum ac obliuionum timeri oporteat tempestates cautum est vt ea que cum matura deliberacione peraguntur

scripture suffragio fulciantur. Ego igitur Chadoldus de Wehinge recognosco vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quod Wenceslaus de Czvczmans conspectui nostro se se offerens cum vxore sua Jouta liberis heredibus et Consanquinibus sanus mente corpore et racione, non compulsus, nec coactus, sed de mera. ac omnimoda omnium amicorum suorum voluntate, maturo consilio. hoc consensu, molendinum medium, necnon laneum dimidium, ibidem in Czvczmans Nobili domine Offemye pincerne, propter debita quedam contracta, cum omnibus vtilitatibus. vsibus, fructibus. et prouentibus ad prescripta pertinentibus liberaliter resignauit, eandem resignacionem nichilominus spopondens sub fidei sve compromissione, uolens aliquatenus verbo vel opere retractare. vt autem hec resignacio inter ipsos habita, robur obtineat perpetuo valiturum inconuulsa perseuerans peticionum eorum instantiis inclinatis, presentes fieri et mei Sigilli appensione feci roborari. Datum et actum Anno. domini, Millesimo. Trecentesimo Secundo. in die beati Vrbani pape et Martyris.

Ex originali in archivo curiae Brunensis f. R. n. 6.

CXXXIII.

Smilo de Greunwalde recognoscit, Wenceslaum de Micmanice cum uxore Gutta nobili dominae Eufemiae, pincernae Znoymae residenti, medium molendinum mediumque laneum ibidem in Micmanice resignasse. Dto. in die b. Urbani papae et martyris 1302.

Cum de gestis hominum tamquam de naui que fluctibus est exposita, sub serenitatis tempore, calumpniarum ac obliuionum timeri oporteat tempestates, cautum est, vt ea que cum matura deliberacione peraguntur scripture suffragio fulciantur. Ego igitur Zmylo de Greunwalde recognosco coram vniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris quod Wencezlaus de *Mueczmans,* conspectui meo sese offerens, cum vxore sua Jeuta sanus mente corpore et racione, non conpulsus nec coactus, sed de mera ac omnimoda omnium amicorum suorum voluntate, maturo consilio ac consensu molendinum medium nec non laneum dimidium ibidem in *Mueczmans,* nobili domine, domine Offemye pincerne, Znoyme residenti

propter debita quedam contracta, cum omnibus vtilitatibus, vsibus, fructibus, et prouentibus, ad prescripta pertinentibus, libere resignauit, eandem resignacionem nichilominus spondens sub fidei sue conpromissione se nolle aliquatenus verbo uel opere per se vel per suos heredes si quos habuerit retractare. Vt autem hec resignacio inter ipsos habita robur obtineat perpetuo valiturum inconuulsa perseuerans peticionum eorum instanciis inclinatus presentes fieri et mei sigilli appensione feci roborari. Datum et actum anno domini Millesimo, trecentesimo, secundo, in die beati Vrbani pape et martiris.

Ex originali in archivo monasterii Oslowanensis.

CXXXIV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, Andreae militi suo de Cetechowice villam Těšice in metis Ungariae in feudum confert. Dto. in castro Mohelnice VI. Kalend. Junii 1302.

Theodoricus dei gracia Olomucensis episcopus; Vniuersis presentem paginam inspecturis; tam presentibus quam futuris inperpetuum; Ecclesiasticis vtilitatibus desudantes ecclesiastica dignum est remuneracione gaudere; Et qui voluntariis obsequiorum necessitatibus se subiciunt digne nostris prouisionibus consolantur; Hinc igitur ad noticiam deferimus singulorum, quod nos de consilio et assensu dilectorum fratrum nostrorum; videlicet Budyzlay decani. Cyri prepositi. Ranoziri archidyaconi. ac totius capituli nostri Olomucensis, ob remuneracionem plurimorum obsequiorum, et fidei, ac amoris, circa et ecclesiam nostram ab Andrea milite nostro de Cziethochowiz prestitorum villam nostram episcopalem Czessiz in metis Vngarie sitam, que multo tempore deserta iacuit, sibi et heredibus suis masculis, legittime descendentibus ab eodem, damus et concedimus in feodum, et iure feodi perpetuo possidendam, — Saluo aurifodio, uel argenti, — salis, uel cuiuslibet alterius metalli, quod ad nos duntaxat si emerserit volumus pertinere, Idem eciam Andreas miles noster in signum recognicionis accepti a nobis feodi, dilectis fratribus nostris de capitulo nostro Olomucensis ecclesie de quolibet laneo ville predicte vnam mensuram

tritici Opauiensem quolibet anno persoluet, prout alii ecclesie nostre feodales soluere consueuerunt. In cuius rei testimonium presentes literas exinde fieri, et tam sigillo nostro quam capituli Olomucensis eas fecimus roborari ad robur perpetuo valiturum. Datum in castro nostro Muglicz anno domini M. CCC. secundo VI. Kalendas Junii.

Ex orig. in archivo archiepiscop. Olomuc. Cremsirii.

CXXXV.

Bonifacius VIII. papa Wenceslao, regi Boëmiae, mandat, ut jura sua suique filii in regnum Ungariae probet et titulo regis Poloniae abstineat. Dto. Anagniae III. Idus Junii 1302.

Carissimo in Christo filio W. regi Boemiae illustri. Dilectum filium Mag. Ulricum de Pabeniz doctorem decretorum canonicum Pragensem nuntium tuum et literas regias, quas ipse nobis ex parte tua detulit, paterna benignitate recepimus, et ipsarum literarum tenore diligenter inspecto et auditis his quae dictus nuntius coram nobis exposuit viva voce, ex eis in summa percepimus, quod ad hoc tua tendebat intentio, tuaque id petitio postulabat, ut tui nati negotium, quem in regem Ungariae concorditer et canonice proponis electum, et te ac tuos et suos in hac parte sequaces in benivolentiam nostram reciperemus et gratiam, ac tibi et ipsis adjutores, directores favorabiles et benignos nos in ipso negotio redderemus. Sane fili carissime, sicut alias tibi per literas nostras scripsisse meminimus, regnum Ungariae tam nobile hactenus tam praeclarum, in spiritualibus et temporalibus modernis temporibus heu multipliciter collapsum agnoscitur et quasi datum in praedam per Cumanorum, Tartarorum, schismaticorum et paganorum hostiles incursus, ac propter dissensiones et novitates periculosas noviter attentatas in ipso, ex quibus discriminose vastatur, fere ad nihilum est deductum. Sicque nos his non sine gravi mentis amaricatione recensitis, desiderantes prout nobis ex officii debito summi apostolatus incumbit, super eis de salubri remedio providere, ad procurandam in ipso regno pacem, quae vinculum caritatis existit, et ad tollenda inde dissentiones (sic) et scandala, quae miserabilem desolationem inducunt, venera-

bilem fratrem nostrum Nicolaum Ostiensem episcopum apostolicae Sedis legatum religione praeclarum, virum magni consilii et grande Romanae membrum ecclesiae, cujus praesentiam nobis non absque magna incommoditate subtraximus, duximus pridem illuc cum plenae legationis officio destinandum, teque per ipsum et literas nostras hortati sumus diligenter, ut nonnulla quae circa praefatum natum tuum dicebantur minus provide attentata, prudenter corrigeres per te ipsum et regali providentia emendares, ac tam tu quam tui et nati memorati sequaces acquiesceretis ipsius legati salubribus monitis reverenter, vosque beneplacitis coaptaretis ipsius, qui ad dictum regnum ut pacis angelus nuntiusque salutis accessit; significantes tibi, quod si qua jura in eodem regno aliisque provinciis tibi vel nato memorato competerent, et prosequeremini coram nobis, illa disponebamus illibata servare nec minuere sed augere. Licet autem legatus ipse multos propterea non solum mentales sed etiam corporales subierit sollicitudines et labores, qui apud deum erunt meritorii et gloriosi fructus eorum, non tamen ut sperabamus quietis et pacis effectum per viam compositionis vel concordiae amicabilis labores et sollicitudines hujusmodi habuerunt, nec alias etiam regni praedicti status ad quietis commoda est reductus: quinimo guerrarum turbines in regno ipso prohdolor invalescunt. Attendentes igitur, quod thronus apostolici culminis constitutus est a domino super reges et regna, ut aequitatis virga unicuique tribuat, prava dirigat in directa et morbis qui fomentorum non recipiunt medicinam asperius medicamen opponat, super petitione tua praedicta deliberatione praehabita diligenti, eidem nuntio in praesentia fratrum nostrorum viva voce respondimus, tibique praesentibus respondemus, quod personam tuam paterna et speciali sumus benivolentia prosecuti, et proponimus tam tua quam nati praedicti jura conservare ubilibet, ac tibi et ei sine juris alieni praejudicio plenitudinem debiti favoris impendere, dum tu et natus ipse filialis devotionis affectibus et gratis ac laudabilibus operibus vos nostris et apostolicae Sedis beneplacitis coaptetis. Verum cum longo jam tempore dilata sit reformatio dicti regni deformati taliter et collapsi, et a tempore obitus clarae memoriae Watizlai regis Ungariae, ac deinde dum Andreas in eodem regno se pro rege gerebat, carissima in Chr. filia nostra Maria regina Siciliae illustris ad se ac dilectum filium nobilem virum Carolum nepotem ejus praefatum

regnum asseruerit et adhuc asserat pertinere de jure, hujusmodi petitionem tuam propositam ut praefertur absque juris injuria et alieno praejudicio ad gratiam exauditionis admittere non valemus: sed his qui in regno praefato jus se proponunt habere nos ad reddendam justitiam convertentes, per alias literas nostras te ac reginam, nepotem ipsius ac filium tuum praedictos vestrumque sequaces et alios qui sua crediderint interesse, de quibus expedire viderimus per peremtoriae citationis edictum proponimus ad nostram facere praesentiam evocari, ut cum omnibus juribus, actis et munimentis hujusmodi negotium contingentibus compareatis legitime coram nobis, recepturi justitiae complementum, et facturi quae pro bono statu dicti regni duxerimus ordinanda. Ad haec ignorare te nolumus, quod cum in praedictis tuis literis te regem non solum Boemiae, sed etiam Poloniae duxeris describendum, causa nobis exinde magnae turbationis advenit, dum auctoritate propria, quinimo temeritate non modica, non vocatus a domino tamquam Aaron, sed apostolica Sede matre omnium et magistra contemta, ad quam provinciae Poloniae pertinere noscuntur, regium in ipsa Polonia nomen usurpas, te regem Poloniae nominando. In quae autem crimina assumtio falsa regiae dignitatis, imo et simplicis magistratus, ac seditio et commissio violentiae cum armis incidant, quibus subjiciendi sint poenis talium patratores, non est opus exprimere, quia id nota et vetustissima decreta sanxerunt. Ne igitur in te tantae temeritatis audaciam in tuae salutis dispendium, praefatae Sedis injuriam et plurimorum scandalum absque dubitatione praesumtam dissimulare quodammodo videamur, magnificentiae tuae per apostolica scripta sub spiritualibus et temporalibus poenis, quas si contrarium feceris tibi volemus inferre, districtius prohibemus, ne te ulterius regem Poloniae nomines, sigillum regium sub intitulatione Poloniae regni assumas vel utaris assumto, neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona et jura quocunque in ipsa Polonia vel aliqua ejus parte concedas, aut tamquam rex Poloniae quicquam agas. Nos enim tibi paratos offerimus ad manutenendum et conservandum jura, si qua in ipsa Polonia ostenderis tibi competere legitime coram nobis. Dat. Anagniae, IIII. Idus Junii anno octavo.

Ex autogr. regesto liter. Bonifacii VIII. an. VIII. epist. 478. in Tabul. Vatic.

CXXXVI.

Theodoricus, abbas Lucensis, fratribus suis in pitantiam assignat villam Oblas cum curia et vineam in Kaunice. Dto. in festo b. Joannis Baptistae. 1302.

Uniuersis presentes litteras inspecturis Nos theodoricus, Dei patientia Lucensis abbas, Salutem et noticiam veritatis. Tenore presencium vobis duximus intimandum, quod Nos Bonis benefacere cupientes fratribus conuentus ecclesie nostre Lucensis, qui die nocteque diuinis officiis inuigilant, villam nostram dictam Obloz cum curia et omnibus iuribus suis sine diminucione, nec non uineam nostram in Kaunis pro .... suo perpetuo assignamus ac assignauimus per presentes; promittentes bona fide, quod contra huiusmodi assignacionem et prouisionem non ueniemus in futurum. Et ne super hoc dicti fratres valeant in posterum molestari, dictam assignacionem seu prouisionem supplicamus et petimus a Reuerendis patribus et dominis karissimis, dominis Ma. Wadegociensi et Ni. Rengisualli Dei patientia abbatibus, visitatoribus concanoniarum Bohemie et Pollonie Auctoritate Domini. Premonstratensis et Capituli generalis in plenitudine potestatis ratificari ac etiam confirmari. Et Nos Ma. Wadegociensis, et Ni. Rengisuallis dei patientia Abbates, visitatores concanoniarum Bohemie et Pollonie auctoritate Domini. premonstratensis et Capituli generalis de plenitudine potestatis dictam assignacionem et prouisionem ratificamus, et auctoritate, qua fungimur, confirmamus. In cuius rei testimonium sigilla nostra vna cum sigillo dicti Abbatis Lucensis presentibus duximus appendenda. Datum Anno domini M. CCC. Secundo. In festo beati Johannis Baptiste.

(Sigillum tertium avulsum.) Ex originali in archivo monasterii Lucensis H. 11.

CXXXVII.

Bludo et Henricus, fratres comites de Friburg, conferunt monasterio Welehradensi L II. laneos silvae circa oppidum Friburg ad novam villam aedificandam. Dto. V. Nonas Julii 1302.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. *Bludo* et *Henricus* fratres *comites* de *Vriburch* omnibus imperpetuum. Quoniam ea, que geruntur in tempore, nonsolum ex decursu temporis infeccionem recipiunt ad non esse vergentem, verum eciam plerumque a memoria hominum sepulta in obliuionem transeunt et malignancium insidiis et calumpniis subuertuntur, ydoneum cautele genus est, si monimentis sigillorum, scriptorum et testium in lucem prodeant, ne morientibus hominibus forma solemprium donacionum et memoria pariter moriatur. Itaque vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis patere volumus et constare, quod honorande recordacionis dominus *Franco* genitor noster, comes quondam de *Vriburch* vna cum coniuge sua felicis memorie genitrice nostra, nomine Troyzlawa, sui iuris et rerum suarum liberam habens administracionem considerans, quod iuxta vocem sapiencie bonorum operum gloriosus sit fructus accedentibus votis et assensu omnium, quorum in legittimis donacionibus requiri debet consensus, quasdam siluas circa idem oppidum adiacentes *Vriburch*, que ad nouam villam edificandam laneos quinquaginta duos continentes sufficiunt, monasterio de Welegrad ordinis Cisterciensis et dyocesis Olomucensis libera, legitiima, officiosa et irreuocabili donacione contulit, vt ab ipsodem monasterio iuste proprietatis titulo debeant perpetuo possideri. Nos igitur cupientes tante deuocionis esse participes et in fratribus cenobii iam prefati affectum suscitare pro nobis nostrisque deuocius exorandi, dictam donacionem non tantum pie et deuote, sed eciam pure et irreuocabiliter celebratam ad ipsorum instanciam quoad predium in predictis siluis hodie collocatum et in quinquaginta duos laneos paruos distinctum et limitatum, quod vulgariter *Theoderici villa* dicitur, omni heredum et coheredum nostrorum accedente consensu, litteris presentibus approbamus, ratificamus et confirmamus. Has autem solas condiciones inferius annotatas ceteris omnino cessantibus et exclusis nobis ab abbate et fratribus monasterii sepe-

dicti seruari petimus et teneri, videlicet vt in vno altarium monasterii eiusdem quodcunque ad hoc duxerimus eligendum fratres predicti deum debeant in omnibus missis inibi celebratis pro nostra nostrorumque salute iugiter exorare. Item ut criminosi, quorum crimina secundum leges ad dampnacionem spectant capitis, rebus eorundem monasterio cedentibus, in oppido Vriburch iuxta legum sentenciam iudicentur. Ea prorsus racione seruata, ut priuilegiis et libertatibus ordini Cisterciensi generaliter vel monasterio Welegradensi specialiter a sede apostolica vel ab aliis principibus concessis, nullum penitus ex hoc grauamen, nullum preiudicium generetur. Item vt ipsa possessio, si aliquo dubiarum causarum inpulsu venundanda fuerit, nobis vel de nostro consilio aliis consanguinitate nos contingentibus conparanda primitus exponantur. Tanta uero deuocione paterne et materne donacionis approbacionem facimus, vt nos et posteri nostri nullius iuris titulum debeamus aut possimus nobis in ipso predio et omnibus pertinenciis suis aut presumamus vllatenus perpetuo vendicare. Vt autem hec nostra rerum gestarum recognicio et vtrinsque parentis donacionis iuste et deliberate per nos facta confirmacio perpetuam firmitatem obtineat presentes litteras conscribi fecimus sigillis honorandi domini nostri Theoderici Olomucensis episcopi et capellani sui nec non et nostris communitas, ydoneis subnotatis testibus, quorum nomina sunt subscripta: Paulus camerarius Morauie et ecclesie Olomucensis. Hartmanns de Holenstein. Bludo iuuenis de Bludowicz. Ekkricus de fullenstein. Nicolaus de Schowenburch. Franco aduocatus de Modricz. Gerlacus provincialis de Hocenploz et alii quam plures viri nobiles militaribus insigniis decorati. Datum anno domini MCCC secundo, V. Nonas Julii, indiccione XV.

E codice Welehr. fol. 32. in archivo ejusdem monasterii.

CXXXVIII.

Literae Andreae, Olomucensis, et Bartholomaei, Preroviensis Archidiaconorum, canonicorum Olomucensium, et Micul de Pawlowic super fundatione altaris S. Mathaei. Datum XV. Kalendas Augusti 1302.

E cod. chart. II. fol. 49. in archivo capituli Olomuc.

CXXXIX.

Bludo de Jičjn ecclesiae parrochiali in Hnogice decimas villae Pňowice assignat. Dto. in vigilia assumptionis b. M. V. 1302.

Humanis ordinacionibus contractibus atque pactis ut puta caducis ac mutabilibus. propter fragilitatem hominum consueuerunt apponi testimonia racionabiliter fide digna. quatenus non pateat locus fraudibus et deciďatur materia iurgiorum. Proinde Ego Bludo baro terre morauie dictus de Tyzceyn ad noticiam presencium et ad memoriam futurorum cupio presentibus deuenire. quod ad diuini numinis cultum ampliandum in Ecclesia parrochiali beate virginis in Hnoynicz sita in archidiaconatu Olomucensi. consideracionis mee oculos dirigens ac eternorum intuitu volens seminare in terris. quatenus multiplicato fructu id recolligere possim. edoctus super eo in foro penitencie salutaris. decimas pleno iure de allodio in mea villa Pnyewicz. sito in parrochia prefata. ipsi Ecclesie dono et confero liberaliter per presentes. Ne autem tam salubris per me facta donacio a quoquam heredum proheredumve meorum aut eciam quouis extraneo infringi valeat. aut ei ausu temerario contraire volendo ipsam robur obtinere perpetue firmitatis presens scriptum mei dependentis sigilli iussi munimine consignari. Actum et datum in supradicta villa nostra Pnyewicz mediantibus fidelibus nostris troyancio famuli nostri et pezscone procuratore nostro. Anno domini. M. CCC. secundo. In vigilia assumpcionis beate virginis gloriose.

Ex originali in archivo ejusdem ecclesiae.

CXL.

Wenceslaus, rex Boëmiae et Poloniae, ordini S. Joannis Hierosolymitani jus patronatus ecclesiae in Hlubčice confirmat. Dto. in Olomuc. III. Kalend. Septembris 1302.

Nos Wencezlaus Dei gratia Bohemie et Polonie rex. Notum facimus universis tam presentibus, quam futuris, quod nos ex specialis dilectionis affectu, quem ad ordinem hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani

gerimus, volentes ipsum ordinem in terris nostris, gratuitis nostre munificentie beneficiis ampliare, jus patronatus ecclesie in Lubschiz in provincia nostra Oppaviensi ad nos pertinens, ordini predicto et fratribus ipsius ordinis conferimus et donamus per eos retinendum perpetuo et habendum. In cujus rei testimonium presentes literas fieri et sigillis majestatis nostre jussimus communiri. Datum in Olmuz per manus venerabilis Petri Basiliensis episcopi, Wissegradensis prepositi, regnique Bohemie cancellarii principis nostri dilecti. Anno domini M. CCCII. III. Calendas Septembris indictione .. anno nostrorum regnorum, Bohemie sexto, Polonie vero tertio.

E copia.

CXLI.

Frater Ekko, commendator provincialis, et fratres templi de Čegkowice testantur, se a monasterio Scotorum Viennae pro redditibus curiae Tvemvaitzhone Viennae accepisse piscinam in Radstrasse. Dto. Viennae in crastino S. Michaelis 1302.

Nos frater Ek. Comendator prouincialis per Bohemiam, Morauiam et Austriam, et fratres domus in Shekwitz ordinis cruciferorum de templo, tenore presentium publice profitemur, quod, cum super redditibus quadraginta octo denariorum Wiennensium usualis monete persoluendorum annuatim de curia, que vulgariter dicitur Tvemvaitzhone, sita in strata, que dicitur Tuemvoitztraz Vienne, inter honorabiles viros, dominum Wil. Abbatem et conuentum ecclesie sancte Marie Scotorum Wienne a parte una, et nos et domum nostram ex altera, questio siue contencio aliquamdiu verteretur; quod tamen sedata et composita fuit eadem questio siue contentio amicabiliter in hunc modum, quod, ut prenominati redditus eisdem dominis prefatis et ecclesie sue quiete et pacifice remanerent, iidem domini redditus alios quinquaginta quinque denariorum Wiennensium usualis monete, qui in die sancti Michaelis annis singulis persolui debent de quadam pistrina dicta Hensenarii, sita in strata, que vulgaritur dicitur Ratstraz Wienne, assignauerunt et dederunt nobis et domui nostre in Sckekwitz libere et perpetuo possidendas, ita, quod et nos cessimus ex nunc et

renunciauimus totaliter omni accioni et iuri, quod nobis in suprascripta curia competebat, sicut etiam patet ex litteris, inter nos hinc inde traditis, euidenter. Huius rei testes sunt: Frater Sifridus de Brunna, ordinis nostri Magister. H. medicus. Chunradus, notarius domini Wil. abbatis predicti. Fridericus officialis suus. Slvrvo, ciuis wiennensis, et alii quam plurimi fide digni. In cuius rei testimonium presentes conscribi fecimus litteras, sigillorum nostrorum munimine roboratus. Datum Wienne anno domini M. CCC. II. in crastino sancti Michahelis.

Horm. Geſch. v. Wien. 1. Bd. 3. Hft. Urkundenbuch Nro. XLII.

CXLII.

Henricus de Kirchhausen, praeceptor ordinis S. Joannis per Bohemiam, Poloniam, et Moraviam, oppido Eywanowic jura concedit, quibus Brunna fruitur. Datum mense Novembris. 1302.

Orig. in Mus. Morav.

CXLIII.

Smilo de Greunwalde recognoscit, quod Jaroslaus de Jakubow monasterio in Rjše medium laneum cum rubeto in Jakubow resignavit. Dto. in Jakubow, in die b. Thomae apostoli 1302.

Cum de gestis hominum tanquam de naui que fluctibus est exposita sub serenitatis tempore, calumpniarum et obliuionum timeri oporteat tempestates, cautum est, ut ea que cum prouida deliberatione peraguntur, scripture suffragio fulciantur. Ego igitur Zmylo de Greunwalde recognosco coram vniuersis presentibus et futuris presentium notitiam habituris quod Jerozlaus de Jacubaw conspectui meo sese offerens, cum filia sua Šudka sanus mente corpore et racione non compulsus nec coactus, sed de mera ac omnimoda amicorum suorum voluntate, maturo consilio ac consensu laneum dimidium cum rubeto ibidem in Jacubaw, sororibus in Reusch deo deuote famulantibus. cum omnibus pertinentiis libere resignauit.

eandem resignationem nichilominus spondens sub fidei sue conpromissione se nolle aliquatenus verbo uel opere per se et suos heredes retractare. Vt autem hec resignatio inter ipsos habita robur obtineat perpetuo valiturum inconuulsa perseuerans, petitionum eorum instantiis inclinatus presens fieri et mei sigilli appensione feci roborari. Datum et actum in Jacubaw anno domini M. CCC. secundo in die b. Thome apostoli.

Ex orig. monast. Oslovanen. in curia Brunnensi.

CXLIV.

Joannes, episcopus Olomucensis, donationem a Wenceslao rege ecclesiae in Towačow anno 1297. factam confirmat. anno 1303.

Johannes dei gracia Olomucensis Episcopus. Vniuersis Cristi fidelibus presens scriptum visuris vel andituris: Salutem in Domino: Ad Notitiam singulorum tam presentium ..... Domini Wencezlai Regis Boemie super speciali gracia collata Ecclesie in Thowatschowe — non rasas — non cancellatas: nec in aliqua parte sui viciatas — vero ..... Dux Cracouie et Sandomirie Marchioque Morauie. Tenore presentium notum facimus tam presentibus quam futuris: quod providi viri Jacobi plebani de ..... benigniter inclinati etc. usque Anno domini Millesimo Ducentesimo LXXXXVII. — VII. Idus Aprilis. per manus Magistri Johannis Sacensis prepositi. Anno coronacionis nostre secundo. Vide in hoc Tom. n. LXVI. In huius ig..... instante petitione prenominati Jacobi decreuimus prenominata donata Ebclesie de Thowatschaw sigillorum nostrorum munimine comprobare. Datum .... Domini per manus Arnoldi Notarii nostri. Pontificatus nostri anno secundo.

Origin. in interfolio codicis n. II. III. 5. c. r. bibliothecae Universitatis Olomuc.

CXLV.

Th., ... abbas Siloënsis, confert Eberhardo, civi Iglaviensi, judicium locandae ab ipso villae Simonsdorf. Datum in vigilia Epiphaniae. 1303.

In nomine Domini Amen. Quoniam dubia sepius uertuntur in contrarium. Nos Th. dei paciencia abbas Ecclesie Syloensis, ipsa dubia amputare cupientes. Notum esse cupimus vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos de consilio virorum sapientum nec non de consensu vnanimi. M. prioris et confratrum nostrorum. Contulimus Ewerardo viro honesto et prouido villam ecclesie nostre Symonsdorf locandam et iudicium inibi iure hereditario tam sibi quam suis heredibus possidendum. Tali videlicet condicione et pacto quod idem iudex terciam partem de eodem iudicio tollet vtilitatis. Preterea contulimus sibi laneum et molendinum in eadem uilla libere et iure nichilominus hereditario possidenda. Prefatus eciam iudex coram uiris fide dignis nobis promisit se XVI. laneos in eadem villa locaturum. Porro tam ipse iudex prenominatus quam ceteri homines in eadem uilla manentes decimam de quatuor granis plenarie persoluent. Census autem dicte uille talis erit. Lanei enim iam locati per tres annos suum censum persoluent. videlicet in festo Georgii tres lotones argenti et in festo beati Galli tres lotones. Illi uero lanei qui per prefatum iudicem locabuntur per quinquenium de solucione census habebunt libertatem. Insuper homines sic locati de laneo dabunt in festo pasche XX. oua in festo pentecostes duos caseos. et in messe duos messores. et duos pullos in festo S. Martini. Ad hec pretitulate nostre ordinacioni duximus annectendum quod si predictus iudex uel sui heredes quocunque motu animi ipsum iudicium uendere decreuerit uel si nobis ac hominibus ibidem ex iusta causa non complacuerit tunc nos assumere debemus tres scabinos et ipse tres quos elegerimus duos de ipsa uilla et quatuor de aliis abbacie adiacentibus uillis et secundum quod iidem estimauerint uel ecclesie nostre uel alicui honesto uiro idem iudicium cum iuribus suis de nostro consilio uendere debebunt. Ceterum promisimus plebano quicunque pro tempore fuerit vnum laneum liberum pro dote nos daturos. Predictus vero iudex

nichilominus nobis promisit quod si infra quinquennium dicta uilla locata non fuerit, quidquid de censu deperierit ipsemet de proprio persoluere debebit. Promisimus itidem iudici ac ipsis hominibus prefate ville quod se habere debent et tenere ad iudicium Yglauiense. Datum anno domini M. CCCIII. in vigilia Epiphanie domini.. Coram testibus infrascriptis. Chunrado iudice de Gishowels. Pilgrino de Gumpols. calog de Calav. Thomissio de Hopathau. Adam de Dudin. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillorum nostri specialis et conuentus munimine duximus consignandum.

Ex originali — cum duobus sigillis laesis, quorum alterum episcopi figuram in sella sedentis praesentat — in archivo civitatis Iglaviensis.

CXLVI.

Joannes, episcopus Pragensis, indulgentias monasterio Sarensi a nonnullis episcopis collatas, confirmat. Dto. VIII. Idus Martii 1303.

Uniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Nos miseratione diuina. Ranuncius. casantanus. basilius. Jerosolimitanus. Adenulfus conssanus. archiepiscopi. frater Jacobus. Calcedonie. Antonius. Chenodiensis. Guilelmus plimanicensis. Rogerius esculanus. manfredus. sancti marchi. frater nicolaus tortibulensis. Nicolaus neocastrensis. episcopi. Salutem. in domino. senpiternam. Splendor paterne glorie qui sua mundum illuminat inefabili claritate pia uota fidelium de clementissima ipsius magestate sperancium tunc begnino (sic) fauore prossequitur cum deuota eorum humilitas sanctorum meritis et precibus adiuuatur. Cupientes igitur. ut claustrum sancte marie zahars quod eciam fons sancte marie uocatur Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et a Christi fidelibus iugiter ueneretur. Omnibus uere penitentibus et confessis qui ad dictum claustrum in singulis subscriptis festiuitatibus uidelicet ipsius natiuitatis purificacionis anunciacionis et asumpcionis beate marie uirginis nec non in festo natalis domini circumcisionis epiphanie resurreccionis acenssionis et pentecostes et in festiuitatibus sancte crucis sancte anne sancte helisabet sancti Nicolay sancti Martini sancti Johannis euangeliste et sancti iohannis baptiste et in

festis petri et pauli apostolorum et omnium sanctorum ac in dedicacione ipsius ecclesie accesserint anuatim aut qui ad nouam stucturam (structuram). fabricam. reparacionem. luminaria ornamenta seu alia necessaria ipsius ecclesie manus porrexerint adiutrices uel qui in bona sui corporis sanitate seu eciam in extremis laborantes quidquam suarum predicte ecclesie dederint uel legauerint facultatum, eciam qui dicte ecclesie plebanum cum corpore Christi uel sacra uncione infirmos uisitantem deuote associauerint Nos de omnipotentis dei misoricordia et beatorum petri et pauli apostolorum eius omniumque sanctorum meritis, autoritate confisi. Singuli nostrum singulas quadraginta dierum indulgentias de iniunctis sibi penitentiis in domino misericorditer relaxamus dummodo. diocesani uoluntas ad id acceserit et consensus. In cuius reij testimonium presentes litteras nostrorum sigillorum fecimus apensione muniri Datum Rome anno domini millesimo. CCC. pontificatus domini Bonifacii. pape. octaui anno sexto.

Nos vero Johannes dei gracia Pragensis episcopus loci dyocesanus, has indulgencias ratas et gratas habentes auctoritate qua fungimur confirmamus. XL. dies auctoritatis nostre huiusmodi remmissionis et gracie, Indulgenciis fauorabiliter annectentes eisdem, testimonio huius scripti. Sub anno domini. Millesimo. CCC. III. VIII. Idus Martij. Pontificatus vero nostri anno secundo.

(Sigilla XI. omnia laesa.) Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CXLVII.

Jutka do Hodice confert ecclesiae in Żeletawa quartale suum in Radonjn. Dto. Iglaviae III. Kalend. Aprilis. 1303.

Jutka de Hodicz ecclesie et plebano in Zeletaw quartale suum in Radonim quondam Jesconis fratris sui confert. His autem interfuerunt testes: Hermannus plebanus de Reusche. Jesco dictus de Bilcowe. Abel et Pertoldus cruciferi domus in Tempilstayn. Dietlinus et Kunradus fratres de Slawicz, nec non alii complures. Datum in Ygla III. Kalendas Aprilis MCCCIII.

E vidimus de anno 1620 in curia Telčensi extr. Horký.

CXLVIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae et Poloniae, possessiones civitatis Znoymensis ab omni onere eximit, eique jus milliare et silvam Leskow confert. Dto. Brunae VIII. Idus Aprilis. 1303.

Nos Wencezlaus dei gracia Boemie et Polonie Rex. Notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis. Quod nos ciues nostros Znoymenses, propter ipsorum fidei et deuocionis promptitudinem quam ad celsitudinem nostram gerunt, volentes attollere gratiosis graciis libertatum, ipsisque commoda procurare. Ciues predictos et heredes ac successores ipsorum de vniuersis suis prediis et hereditatibus que ipsi ciuitati Znoymensi, ex antiquo a primeua eius fundacione ac locacione sunt annexa, per progenitorum nostrorum graciam et fauorem. ac de illis possessionibus quas de nouo emerant, et imposterum eos emere contigerit, a iurisdicione ac potestate qualibet omnium beneficiariorum absoluimus graciose et esse uolumus imperpetuum liberos et solutos, ita quod ammodo de predictis vniuersis suis possessionibus quas nunc habent et in futurum habebunt, ipsi ciues et eorum successores non alibi quam coram camerario nostro morauie qui pro tempore fuerit, aut iudice ciuitatis eiusdem debeant, pro causis et excessibus quibuslibet conueniri, amplius, ut dicta ciuitas se a nobis gaudeat percepisse plura profectuum incrementa, statuimus, et volumus precise inhibentes, ne quis incolarum in bonis nostris et bonis alterius cuiuscunque in spacio vnius miliaris ad omne latus eiusdem ciuitatis cereuisiam venalem braxare uel habere vlterius audeat nec presumat; ad hec pro melioracione eciam ac profectum ciuitatis predicte, siluam nostram Leskouecz prope ipsam ciuitatem sitam, eidem ciuitati damus et conferimus, ut de cetero ad dictam ciuitatem pertineat, et predicti ciues pro pascuis habeant siluam ipsam. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et sigillis maiestatis nostre iussimus, communiri. Datum Brune per manus venerabilis Petri Basiliensis episcopi, wissegradensis prepositi, Regnique Boemie Cancellarii, principis nostri dilecti. Anno domini Millesimo. Trecentesimo. Tercio. VIII. Kalendas aprilis. Indictionis prime. anno Regnorum Boemie sexto. Polonie vero tercio.

Ex originali in archivo ejusdem civitatis.

CXLIX.

Wenceslaus, rex Boëmiae et Poloniae, confert Zdislao Mĕšec villam Hluk jure haereditario. Dto. in Chrudim X Kalend. Maji 1303.

Nos Wencezlaus, dei gracia Boemie et Polonie Rex. Notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod nos propter grata et fidelia seruitia, que fidelis noster Sdyslaus, dictus Myessecz, nobis exhibuit hactenus, et exhibet in presenti, ac in futurum poterit exhibere, villam nostram Hluk, sitam in Morauia, et habentem Curiam cum agris ad duas araturas, et de censu viginti quatuor Marcas argenti, dicto Sdyslao de speciali gracia conferimus et donamus, per eum et heredes suos hereditario iure imperpetuum possidendam; tali tamen conditione adiecta, quod, qnandocunque a dicto Sdyslao vel eius heredibus rehabere volumus villam ipsam, dabimus sibi in aliis bonis nostris, vbi nobis placuerit, equiualentes duas araturas, et censum viginti quatuor Marcarum predictarum, uel pecuniam, que ipsas duas araturas et censum valeat supradictum; et edificia lignea, que ibidem pro sua et familie sue conseruatione construet, sibi etiam persoluemus; et extunc de villa, duabus araturis et censu nos intromittere poterimus antedictis. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillis Maiestatis nostre iussimus communiri. Datum in Chrudim, per manus venerabilis Petri, Basiliensis Episcopi, Wissegradensis Prepositi, Regnique Boemie Cancellarii, Principis nostri dilecti. Anno domini Millesimo, Trecentesimo Tertio. X. Kalendas Maii. Indictionis prime. Anno Regnorum nostrorum Boemie Sexto, Polonie vero Tertio.

(Sig. laesum in margine.) Ex originali in archivo civitatis Hradiště.

CL.

Wenceslaus, rex Boëmiae et Poloniae, confirmat fundationem Wernheri, canonici Olomucensis, praebendae canonicatus in Suchonice et Hlusowice et vicariam in Lucka. Dto. Pragae X. Kalend. Junii 1303.

Nos Wenczelaus, dei gracia Boemie et Polonie Rex, notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod, cum magister Wernherus, Pragensis et Olomucensis canonicus, uillam dictam Suchouicz in qua sex tantum marce argenti in censu esse dicuntur, et in uilla dicta Hluschouicz vnam araturam, ac partem ville dicte Luka emerit, et de eisdem sic duxerit ordinandum, videlicet, quod de villa Suchouicz et aratura in Hlussouicz predictis, prebendam in Ecclesia Olomucensi creauit, et de dicta parte ville prefate Lucka in eadem Ecclesia instituit vicarium, qui vicarius omni secunda feria per totum annum dicat missam defunctorum pro animabus patris et matris nostrorum, et quinta feria missam de sancto Michaele archangelo, ac dominico die missam de Sancta Trinitate; et instituit etiam de redditibus partis dicte ville Lucka, empte per eum, quod perpetuo missa de Sancta Maria quolibet die celebretur, in dicta Olomucensi Ecclesia sollempniter decantando: nos in hiis dicti magistri Wernheri laudabile et pium opus diligentius attendentes, eiusque propterea supplicationibus benignius inclinati, emptioni et ordinationi predictis nostrum fauorabiliter prestamus assensum, ipsasque ratificando presentis scripti patrocinio confirmamus. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage per manus venerabilis Petri, Basiliensis Episcopi, Wissegradensis prepositi, Regnique Boemie cancellarii, principis nostri dilecti. Anno domini M. CCC. III. X. Kalendas Junii, Indictionis prime. Anno regnorum nostrorum Boemie sexto, Polonie vero tercio.

E cod. membr. I. Fol. 33. in archivo capituli Olomuc.

CLI.

Bonifacius VIII. papa, Mariam reginam Siciliae ejusque filium Carolum reges legitimos Ungariae pronuntiat, et incolis regni Ungariae sub poena excommunicationis mandat, ne regem Boëmiae Wenceslaum et ejus filium, Ungariae reges nominare praesumant. Dto. Anagniae II. Kalend. Junii 1303.

Ad perpetuam rei memoriam. Spectator omnium, cunctarum praescius rex aeternus civitatem Jerusalem ruituram praevidens, flevit compassibiliter super illam. Numquid igitur et nos ejus officium vicariae potestatis habentes, fletus arcere possumus, mitigare punctionis aculeos, gemitus cohibere, videntes acerbe regni Ungariae collapsi per plurimum dissidia gravia inculcata frequentius, diminutionis incommoda et ruinam totaliter imminentem? Illud utique violenti diripiunt et apprehenderunt, jam inter angustias persequentes gemunt sacerdotes ipsius, luget populus confusionis involutione perplexus, parvuli ejus captivi sunt ducti ante faciem tribulantis, silet ibi belli dissidio coacta justitia, corrupti sunt mores hominum, eradicatis virtutibus, vitiis propagatis, zelus christianae fidei tepuit, immo jam friguit et divini cultus observanda religio dormitavit, et dum inibi de regnandi jure contenditur promiscuis actibus sursum deorsum miscentur confuse singula et in aperto caduco ruit populus cum certus non appareat gubernator. Dolendum in his pariter et lugendum illa maxime ratio piae considerationis inducit, quod regnum ipsum retrorsum rediens reges lactavit hactenus reginasque catholicos et in eminentiam coelestis exercitus mira vigente sanctitate produxit, litteratos utique viros, alios intelligentes et providos, scientiae claritate conspicuos et eloquentiae facunditate disertos. In quorum vices successere proh dolor dissidentes et stolidi, modicae devotionis et fidei, abjicientes jugum disciplinae laudabilis et debacchantes improbe sine freni constrictione pro libito vastatores. Numquid igitur super istis nostra consilia inhumane deficient opportuna remedia enclipsante caritatis fomite et omissa lima justitiae delitescent? Necesse quidem adesse conspicimus, ut ruinas hujusmodi pastoralis cura nostrae provisionis impleat, collapsa reparet, justa confoveat, vastata restauret et paterna be-

nignitas apta praesidia pro ipsorum congrua reparatione producat, sedando praecipue, quantum nobis ex alto permittitur, contentionis praefatae de jure regnandi turbinem et de regno ipso auferendo pro viribus omnem per nostrae reparationis suffragium tempestatum. Sane diebus non longe praeteritis carissimus in Chr. filius noster Venceslaus Boemiae rex illustris per ejus nuntium et expressas litteras nobis supplicavit attente, ut negotium dilecti filii nobilis viri Venceslai ejusdem regis filii, quem in regem Ungariae concorditer et canonice proponebat electum, et eundem regem Boemiae, ac tam suos quam ejusdem filii in hac parte sequaces in benivolentiam nostram reciperemus et gratiam, ac nos eis adjutores, directores benignos et favorabiles in ipso negotio redderemus. Super cujus supplicationis instantia pia et rationabili meditatione pensantes, quod praefatum regnum Ungariae tam nobile hactenus, tam praeclarum in spiritualibus et temporalibus per collisiones varias sicut praetangitur est collapsum, quodque carissima in Chr. filia nostra Maria regina Siciliae in eodem regno Ungariae tamquam heres proximior habere se jus asserebat et asserit, et dilectus filius nobilis vir Carolus nepos ejus regnum ipsum in parte non modica ex persona jam dictae paternae suae aviae possidebat et possidet, de quo etiam in Strigoniensi ecclesia juxta ritum antiquum Ungariae per personam idoneam regale susceperat diadema, ut tolleremus invicem peccandi materiam et concertandi discrimen, exhiberemus justitiae debitum ac viam reformationis dicti regni accommodam sumeremus inter contendentes eosdem tractatum pacis et compositionis amabilis more patrio (sic) similiter assumere cupientes, memoratos reges Boemiae, ipsius filium et saepedictum Carolum eorumque sequaces et alios qui sua crederent interesse per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Ostiensem episcopum, tunc Ungariae prefati regni legatum, peremtorie citari mandavimus, ut infra determinati et convenientis temporis spatium in ipsa citatione praefixum cum omnibus juribus, actis et munimentis suis contingentibus memoratum negotium coram nobis ligitime (?) comparere deberent, super his complementum recepturi justitiae ac facturi, quae pro dicti regni statu prospero per nos essent provide ordinanda. Eodem vero legato praedictos regem et filium ac Carolum citante legitime, sicut per ipsius certas literas et verbum postea nobis evidenter innotuit, ac adveniente peremtorio termino in ipsa ci-

tatione statuto, praefata regina Siciliae intimato jam sibi ex nostra parte per alium, quod ipsa etiam, si sua interesse putabat, in memorato termino compareret, et jamdictus Carolus per procuratores idoneos sufficienter instructos tamquam devotionis et reverentiae filii comparuerunt cum debita obedientia coram nobis, venerabilibus fratribus nostris S. archiepiscopo Colocensi, M. Zagrabiensi, T. Jeuriensi et B. Vesprimensi episcopis, ac dilectis filiis nonnullis archidiaconis et praepositis de ipso regno Ungariae ex citationis praefatae vigore comparentibus similiter cum eisdem. Jam dicti vero Boemiae rex et natus non comparuerunt per se vel per alium in termino praefinito, nec postea, sed sub cujusdam palliationis astutia excusatores miserunt ad nostram praesentiam dilectum filium Unricum (Henricum) doctorem decretorum, Johannem cantorem ecclesiae de Veteri Buda clericos ac Johannem Romanum jurisperitum laicum, excusantes eosdem, quod procuratores ad nos non miserant sufficienter instructos, causas circa hoc minus rationabiles imo inanes et frivolas praetendentes. Et in pluribus consistoriis per nos ab ipsis seriose petito, si alias causas rationabilis excusationis haberent, vel ampliori forent potestate suffulti, in excusationem culpae contumaciam geminantes, dixerunt improbe, quod praefatus rex Boemiae nullo umquam intendebat tempore de ipso regno Ungariae litigare; procuratoribus ipsis et nuntiis eorundem reginae Siciliae ac nepotis instantibus, ut contumaciam ipsorum Boemiae regis et filii ad declarationem et determinationem juris reginae ac nepoti competentis eisdem procedere deberemus. Nos vero habita super his cum fratribus nostris examinatione solenni, profunda maxime meditatione pensantes statum praefati regni Ungariae miserabilem et depressum flebili quidem compassione condignum, quod revera ex praetacta maxime contentione regnandi in pejus continue labitur, quia dum utrinque conceditur (sic) involuto dissidio animarum et corporum pericula prodeunt et ipsius cives et incolae in illo regnantibus cum debita obedientia non intendunt, quodque sicut facti notorium permanens evidenter ostendit, et licet non in figura judicii nobis est notum, praedicta regina Siciliae sicut primogenituraе jus obtinens clarae memoriae Stephani regis Ungariae patris sui, in eodem regno propinquior est successor et heres quondam Latislao regi Ungariae fratri suo ex utriusque parente, per quod opitulatur eidem communis juris praesumtio, quae tali

casu probandi onus in adversiarum (?) juste transfert, quia etiam quondam Carolus ipsius reginae primogenitus dicti Caroli genitor habitus est quasi communiter et praecipue per Romanam ecclesiam pro Ungariae rege dum vixit. Nec ex parte dictorum Boemiae regis et filii de jure competente ipsis in Ungariae regno praedicto allegatum est aliquid vel assertum, nisi sola electio, quae de ipso filio regis facta proponitur, quae proculdubio diversis ex causis prout rationum prima facies indicat, minus legitima, imo prorsus inutilis esse videtur, eo maxime, quod sicut scripti canonis series aperit, regnum ipsum Ungariae successionis jure provenit, electionis arbitrio non defertur. Rationibus praemissis et causis, aliisque motivis plurimis, quae religionem debent judicantis instruere, in trutina rectae deliberationis appensis, expedientia commixta licentiae, ac benigna humanitate servata, de plenitudine potestatis in apertam contumaciam eorumdem Boemiae regis et filii, in praesentia praelatorum plurium, cappellanorum, familiarum nostrorum et aliorum in Consistorio vocatorum, praesentibus eorumdem Boemiae regis et filii nuntiis ac excusatoribus suprascriptis, de fratrum nostrorum consilio decerninus, diffinimus, declaramus et volumus, quod praedicta Maria in toto ipso regno Ungariae et pertinentiis suis omnibus ac ubique terrarum regina Ungariae et dictus Carolus nepos rex nuncupentur apertis labiis scriptionibusque vulgatis et in documentis publicis titulentur; quodque praelati clerici, cujuscunque dignitatis, status aut conditionis fuerint, et religiosi alii cujuscunque sint ordinis, nec non comites sive bani, barones, milites, cives, incolae cujuscunque status, praeeminentiae, dignitatis, status aut conditionis existant jam dicti regni Ungariae omnium jurium et pertinentiarum ejus ac aliarum regionum annexarum sibi, etiamsi regnorum titulum habeant, dictis reginae Ungariae et regi nepoti tamquam ejusdem regni Ungariae reginae et regi legitimis parere et intendere, ac de fructibus, redditibus, servitiis, juribus et obventionibus aliis consuetis et regi Ungariae debitis devote respondere procurent, praelatis, clericis, et religiosis, comitibus sive banis, baronibus, militibus, civibus incolisque praescriptis sub poena excommunicationis injungentes expresse, quam eo ipso si fecerint secus incurrant, ut eisdem reginae ac regi Ungariae circa recuperationem, defensionem et conservationem regni praedicti auxiliis, consiliis et favoribus opportunis assistant. Et quia in praedictis eosdem effi-

caciter, obedienter et placide sic agere cupimus, ut a contrariis prorsus abstineant et desistant, praelatis, clericis et religiosis, comitibus sive banis, baronibus, militibus, civibus incolisque praefatis sub simili poena excommunicationis et eodem modo praecipimus, ne memoratos regem Boemiae vel ejus filium regem Ungariae nominare vel titulare aliqua nominatione vel descriptione, praesumant, neve ipsis aut ministris eorum de fructibus, redditibus, proventibus ac juribus aliis dicti regni et praefatorum sibi adjacentium respondeant quoquomodo, vel ipsis circa occupationem, invasionem et detentionem seu usurpationem memorati regni Ungariae et praemissorum quae annexa sunt sibi occulta vel publice consilium vel auxilium afferant, vel alicujus praesidium favoris impendant. Nos enim praelatos, clericos, religiosos, comites sive barones, milites, cives et incolas memoratos ab omnibus homagiis, sacramentis fidelitatis, colligationis aut conjurationis, quae praelibatis regi Boemiae, filio, aut ministris eorum praestiterunt, aut cum ipsis in praejudicium dictorum reginae et regis Ungariae aliquatenus inierunt, etiamsi ea fuerint juramentorum, poenarum adjectione vel quovis alio vinculo roborata, quae viribus vacua et nulla fore censemus et carere decernimus omni robore firmitatis absolvimus, et ad eorum observationem quomodocunque aut quantumcunque se astrinxerint pro observandis eisdem ipsos decernimus non teneri. Ceterum ut quae gravitati Sedis apostolicae congruunt, cum debita maturitate servemus, nec excludamus a nostris praecessibus (praecessoribus?) amicam in throno sedentibus aequitatem, regi Boemiae filioque praefatis peremtorium terminum quatuor mensium a die datae praesentium numerandum inantea et peremtorie praefinimus, infra cujus temporis spatium ipsi per se vel alios aut alium, si qua jura de proprietate dicti regni Hungariae habere se credunt, nobis et apostolicae Sedi reverenter ostendant, illaque petant et prosequantur ut expedit ordine debito et rationabile fuerit, sicut ipsis melius videbitur expedire. Super possessorio tamen cujuscunque speciei vel generis pro dicto regno Ungariae memorato regi Boemiae vel filio competente propter eorum contumaciam sic contractam perpetuum silentium eis duximus imponendum. Ultra praemissi vero temporis spatium quatrimestre, ne in potestate sit dictorum Boemiae regis et filii inquietare pro libito, molestare frequenter, et ut vitandi scandali occasionem tollamus et causam, ex nunc prout ex-

tunc in jure ac proprietate competentibus ipsis forsitan in regno praefato, jurisdictionis nostrae et apostolicae Sedis denegamus immutabili edictione praesidium, et eis in tribunali quocunque tam de justitiae famite, quam de ipsius potestatis plenitudine perpetuum silentium imponimus de fratrum consilio praedictorum. Ita quidem, quod praedicta termini praefinitio, jurisdictionis denegatio, impositio silentii exnunc elapso jam dicto quadrimestri spatio perinde vigorem habeant et effectum, ac si in ejusdem Boemiae regis et filii notitiam per formam citationis solitae pervenissent; cum magistratus alii etiam non majores de juris licentia per edicta in scriptis publice vel in aedes proposita citare valeant, nec sic verisimile vel praesumtum, ut praemissa in notitiam et conscientiam dictorum Boemiae regis et filii debito tempore devenire non valeant quae in praesentia ipsius consistorii, praedictorum praelatorum aliorumque plurium et eorumdem nuntiorum ac excusatorum maxime, sunt tam vulgate tamque solenniter publicata. De reformatione praefati regni collapsi disponere cum ipsorum fratrum consilio prout tempora se apta praebuerint praeuisis consiliis opportunisque remediis auctore domino sollicite proponentes, ut in ipso gratia disponente superna tranquilla tempora redeant, inquieta recedant, sicque ipsius regni status reformetur in prosperum, quod laeta pax et amoenitas in locum tam gravium adveniat scandalorum. Nulli ergo etc. nostrae constitutionis, diffinitionis, declarationis, injunctionis, praecepti, absolutionis, decreti, impositionis et denegationis etc. Datum Anagniae, II. Kalendas Junii anno nono.

Ex autogr. regesto liter. Bonifacii VIII. an. IX. epist. 236. in Tabul. Vatic.

CLII.

Th., abbas Lucensis, rogat Swilhermum, abbatem Praemonstratensem, ut confirmat fratribus suis Lucensibus a se collatam pittantiam, videlicet villam Oblas et vineam in Kunice. Dto. Kalend. Septembris 1303.

Reuerendis in Christo patribus ac dominis, domino Swilhermo abbati premonstratensi, et abbatum eiusdem Ordinis capitulo generali Th. diuina miseratione abbas lucensis ecclesie, orationes et obedientiam paratam cum omni reuerentia et honore. Nostrorum prona obedientia filiorum

et deuotione permoti, infrascriptam pittanciam, videlicet villam nostram, oblusk dictam, nomine ipsius pittancie per nos ipsis ex nunc tradite et tradende, cum grangia, pomerio, decima, censu ibidem in ipsa, ab ipsa et de ipsa cum omnibus iuribus, fructibus, attinenciis et appendiciis existentibus et prouenientibus quocumque modo, nomine uel titulo, undecunque prouenient, uel prouenire ualeant ab eisdem, tam in minimis quam in magnis, in quibuscumque consistant, vt nec a nobis, nec ab aliquo successorum nostrorum in posterum predicti fratres lucensis monasterii super perceptione pittancie supradicte in parte uel in toto vmquam inpediantur, uel etiam perturbentur, in minorando, auferendo, violentiam inferendo, uel aliquid extra conuentum cuipiam exigendo de pittantia prefata ab ipsis, cui et quibus pittantie et fratribus vineam integram in Canicz sitam cum omni iure et pertinenciis suis, cum prescriptis et subscriptis iuribus, conditionibus, pactionibus, penis et sentencijs duximus adhibendam ac etiam apponendam, quominus hiis eisue omnibus et singulis integre absque diminucione, contencione, subtraccione, in deterius permutacione libere perfruatur, adimentes nobis omnibusque successoribus nostris ordinandi et disponendi de predicta pittantia, quantum in nobis est, omnimodis facultatem. Quod si contra fecimus, per nos uel per alium, in parte uel in toto, directe uel indirecte, publice uel occulte, ipso facto sententiam excommunicationis et depositionis uolumus incurrisse, a qua non nisi a uobis post plenam restitutionem et integram satisfactionem super hec ipsi factam conuentui possimus absolui; sintque ipsi fratres a nostra obedientia obsoluti, habentes liberam facultatem alium eligendi, non obstantibus iuribus, graciis, priuilegiis, relictis, ordinisque statutis, quibus quoniam adhuc prescripta et infrascripta omnimode renunciamus prescriptis et infrascriptis, nos omnibus uoluntarie submittentes, simusque ineligibiles, et periurij, ac infamie nota respersi et omnino dampnati, nec ad aliquam obedientiam nominatam vmquam ualeamus assumi toto tempore uite nostre, renuntiantes super hiis, ut dictum est, omni iuris et gracie auxilio, nobis super hiis a quopiam facienda, et si qua facta fuerit, nullam optineat firmitatem. Quam pittanciam cum conditionibus expressis superius et eisdem successores nostri, si contra premissa venire presumpserint, per omnia, ceu de nobis expressum est, petimus ut mulctentur, a vestre paternitatis dominatione deposcimus humiliter

confirmari. Ut autem hec nostra donatio, datio seu concessio inuiolabiliter perseueret, presentes in testimonium nostro sigillo fecimus communiri. Datum anno domini Millesimo Trecentesimo tercio. Kalendas Septembris.

Ex originali in archivo monasterii Lucensis.

CLIII.

Swilhermus, abbas Praemonstratensis, et abbatum ejusdem ordinis capitulum generale donationem pitantiae, videlicet villae Oblas et vineae in Kunic a Theodorico, abbate Lucensi conventui factam confirmat. Anno 1303.

Swilhermus, dei patiencia abbas premonstratensis, et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos presentes perueniunt, salutem in eo, qui est omnium uera salus. Venerabilis in Christo fratris nostri Th. abbatis lucensis monasterii, peticionem litteratenus recepimus in hec uerba: Reuerendis in Christo patribus ac dominis, domino Swilhermo abbati praemonstratensi .... usque datum anno domini MCCCIII. Kalend. Septembris. Vide in hoc tomo n. CLII. Nos igitur vestris iustis peticionibus inclinati eandem pittantiam, eidem conuentui vestro lucensis videlicet monasterii per uos factam, cum sententiis, conditionibus et penis presentibus confirmamus, precipientes districte, et volentes, ut illico ipso facto prelati, siqui fuerint, uel subditi, qui predictam pittantiam infregerint, aut infringi ordinauerint, ut supra expressum est, relegato ipsis omni iuris, ordinis ac statuti auxilio, predictas sententias, conditiones et penas incurrant. Datum anno premisso, concedente nostro capitulo generali.

(Sigilla laesa.) Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CLIV.

Joannes, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Geracensi jus patronatus ecclesiae in Rancjřow. Dto. in Pustoměř XVI. Septembris 1303.

Nos Joannes, dei gracia Olomucensis Episcopus tenore presentium publice protestamur, et ad notitiam deuenire cupimus singulorum, quod honorabilis et discretus vir, dominus abbas monasterii de Jeruss, ordinis presmonstratensis, Patauiensis diocesis, diuersas litteras non cancellatas, non abrasas, non abolitas, non in aliqua sui parte uiciatas, cum veris et integris sigillis nobis exhibere curauit, quibus perlectis ex ipsarum tenore collegimus aperte, quod nobilis vir, dominus quondam Zmylo de Belcow, dominus et heres de Ranczyrow, de assensu et voluntate quondam Marquardi ac aliorum fratrum et filiorum suorum, ius patronatus, quod sibi et heredibus suis in ipsa ecclesia de Ranczirow competebat, venerabili monasterio de Jaruss liberaliter contulit pro ipsius et pro progenitorum suorum remedio animarum, quod siquidem ius patronatus venerabilis pater dominus Bruno, Olomucensis episcopus, predecessor noster, suis litteris ex eius officio approbauit. Et quod demum ad iam dictum monasterium ipsum ius patronatus pertinuerit pleno iure, in litteris eiusdem domini Brunonis, predecessoris nostri, tunc etiam nobis exhibitis, expresse vidimus contineri, quod ipse predecessor noster ab honorabilibus viris, abbatibus eiusdem monasterii, plebanos sibi legitime presentatos auctoritate ordinaria confirmauit. In cuius protestationis nostre testimonium presentes litteras fieri, et sigilli nostri munimine fecimus communiri. Datum in Pustemir anno domini M. CCC. III. XVI. mensis Septembris indictionis none.

E cop. vidim. in registrat. Gubern. Moravici Q. 49.

CLV.

Johannes, episcopus Olomucensis, innovat monasterio Daubrawnicensi litteras confirmatorias ab episcopis Roberto et Theoderico annis 1238 et 1298 datas. Dto. in Modřic VI. Kalend. Octobris 1303.

Johannes dei gracia Olomucensis Episcopus. Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem in eo qui est omnium vera

salus. Dignum est, ut vota iusta petencium et precipue illorum personarum, que diuino cultui sunt dedite, ad exaudicionis graciam fauorabiliter admittantur, et effectui debito mancipentur. Eapropter vniuersitati vestre facimus manifestum, quod nos Priuilegium dominarum de Dubrawnik per quondam Theodricum felicis memorie Olomucensis Episcopi venerabilem predecessorem nostrum eisdem dominabus et monasterio Dubravicensi datum, cum uero eius pendenti Sigillo. non cancellatum, non abrasum, non abolitum, nec in aliqua sui parte viciatum, vidimus et legimus, cuius tenorem presentibus de verbo ad verbum duximus inserendum. et est talis. In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Robertus etc. usque Datum in Cremsir IV. Kal. Augusti M. CC. XXXVIII. vide Tom. II. n. CCXCV. et sequitur finis literae confirmatoriae a Theoderico episcopo Olomucensi factae dto. In Modricz Anno domini Millesimo Ducentesimo. Nonagesimo Octauo. XV. Kalend. Februarii. Vide in hoc tomo n. LXXXII. Nos quoque predictorum venerabilium Predecessorum nostrorum vestigia sectantes, ac volentes cum affeccione attenta. Monasterii, et dominarum earundem quantum possumus dirigere comoda et profectus, vt eo efficacius, quo et liberius omnipotenti domino famulentur. Ad deuotam supplicacionem earum. dictum Priuilegium exemplando eciam innouamus. Ratum et gratum habentes. et auctoritate qua fungimur confirmantes ea omnia, que iuxta continenciam litterarum per predictos venerabiles predecessores nostros, dictis dominabus. et monasterio Dubrauicensi indulta sunt et concessa. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et Sigilli nostri munimine fecimus communiri. Datum in Modricz. Anno domini Millesimo Trecentesimo Tercio. VI. Kalend. Octobris. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali in archivo curiae Brunensis f. O. II. n. 9.

CLVI.

Abbatissa monasterii Tišnovicensis emit a Svorone praeposito Olomucensi domum sub monte S. Petri. Datum V. Kalendas Novembris. 1303.

E cod. chart. II. fol. 70. in archivo capituli Olomuc.

CLVII.

Joannes, episcopus Olomucensis, protestatur collationem villae Spiticz factam per abbatem de Jeras Dluhomilo plebano in Wratenjn. Dto. in Wratenjn XVI. Kalendas Decembris. 1303.

Johannes, Dei gracia Olomucensis Episcopus. Uniuersis presentes litteras inspecturis salutem in Domino Jesu Christo. Noueritis, quod honorabilis et discretus uir dominus Petrus, abbas monasterii de Jaruss, ordinis Premonstratensis, Patauiensis dyocesis, ob reuerenciam et affectum, quo erga nos afficitur, Dluhomilo, nepoti nostro, plebano ecclesie in Wreting uillam dictam Spiticz, sitam apud ipsam Wreting, contulit ac cessit ita, quod eam cum prouentibus, juribus et pertinenciis suis omnibus possideat, et habeat quamdiu ibidem extiterit plebanus. Qui dominus abbas asserendo ipsam uillam esse sui monasterii petiuit a nobis litteras super eo, quod, cum ecclesia in Wreting a prefato nostro nepote quoquomodo uacabit, quod uilla eadem ad monasterium pertineat iterato. Cui peticioni satisfacere uolentes hoc presentibus protestamur, quod prefatus Dominus Abbas de supradicta uilla sic cessit eidem nepoti nostro, quod postquam ab eo dicta ecclesia uacabit, ut statim incunctanter villa eadem ad usus monasterii reuertatur. Et quia olim ejusdem monasterii fratres pro rectoribus seu plebanis in eadem de Wreting ecclesia personaliter resedisse dicuntur, ad deuotam instanciam precum ipsius domini abbatis nobis super eo humiliter supplicantis de speciali gracia concedimus et fauemus, quod idem dominus Abbas et conuentus ejus uacante predicta ecclesia fratrem aliquem sui monasterii pro plebano et rectore ibidem si eis placuerit locare ualeant et habere, ita tamen, quod super uniuersis iuribus, contribucionibus et exaccionibus quibuslibet ex quacunque causa emergentibus apostolice sedi, et ejus legatis ac dyocesano, nec non super uisitacionibus, procuracionibus et aliis juribus archidiacono seu ejus uicario uel ei, cui competiuerit, dei ipsius ecclesie prouentibus plenarie satisfiat et in nullo penitus preterea derogetur. In cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri appensione fecimus communiri. Datum in Modricz anno Domini Mille-

simo trecentesimo tercio. XVI. Kalendas Decembris, Indiccionis secunde, pontificatus nostri anno primo.

Ex annal. Horky.

CLVIII.

Witko de Švabenic, cudarius Moraviae, bona in Počatek pro dotalitio conjugi suae Berchtae obtulit, et ab eadem villam Morawany accipit. Dto. Brunae, proxima dominica post diem S. Nicolai. 1303.

In nomine domini Amen. Acta legitima crebro per emulorum cassantur calumpnia, seu obliuionis discrimen senciunt, quin in scripta publica redigantur. Nos igitur Wytko de Swabenytz, Zudarius Morauie, serie presentis priuilegii profitemur, quod nos deliberato animo et maturo nostrorum amicorum et fidelium consilio, ex pura voluntate meroque fauore ac consensu Incliti domini nostri W.(enceslai), Bohemie et Polonie Regis, racione dotalicii quingentarum marcarum, sexaginta grossorum Pragensium et duorum pro vna marca curencium, quod dotalicium a coniuge nostra Berchta super bona, que dicuntur Potschatek, acceptauimus et recepimus, eidem Domine Berchte villam nostram Marwyns vice versa pro suo dotalicio, quod nobis habere debet, pro quingentis marcis grossorum predicti numeri et ponderis obligamus, ita, si ipsa domina Berchta iam dicta nos superuixerit, et in sua uiduitate perseuerare uoluerit, eandem villam cum siluis, aquis, pratis, pascuis, viis, inuiis et vniuersis iuribus vsque ad finem vite sue absque impedimento possidebit pacifice et quiete; si vero eadem in ultimo sue mortis eulogyo dictas quingentas marcas alicui vel aliquibus disposuerit, ordinauerit vel legauerit, extunc nostri heredes eidem domine prefatam dabunt pecuniam, et se de bonis Marwyns cum omnibus iuribus ad ipsum spectantibus intromittent. Si autem dicta iam sepe domina sue viduitati post mortem nostram renuntiare voluerit, et ad matrimonium se transferre, prefati heredes nostri ipsi domine quingentas marcas grossorum prescripti ponderis et numeri assignent ac presentent ac dent, seque de possessione ville prehabite cum suis iuribus intromittant. Si vero nobis et conjuge nostra Berchta sepedicta viuentibus Johannes, priuignus noster,

bona Potschatek pro quingentis marcis dicti ponderis liberare aut redimere voluerit, ipsam pecuniam dominis Heynrico de Rosenperch et Wytkoni de Luczka presentabit, hiidemque domini secundum quod arbitrati fuerint, eandem pecuniam in bona redigent et conuertent. Super quod nos in quingentis marcis ratione dotalicii nobis ex parte dicte nostre coniugis ordinati respectum habebimus efficacem. Si autem nos ipsam dominam superuixerimus, easdem quingentas marcas, quas ab ipsa super ..... in bonis Potschatek habemus, conuertere possumus secundum nostre arbitrium voluntatis. Hec acta tam legitima celebrata ... *in tabulas publicas olomucensis zude, ad quam vniuerse prouincie Morauie se reclinant, redegimus* in signum efficacie amplioris. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillo nostro et sigillis testium subscriptorum duximus communiri. Testes sunt: domini Heynricus de Rosenperch, summus Boemie camerarius. Thobyas de Bechyn, ipsius regni marscalcus. Vlricus de noua domo, purchrauius de Brunow. Phillippus de Pernsteyn, purchrauius in Godyngen. Wykhardus de Polna purchrauius Brunnensis. Protiua de Dubrawycz, pincerna Morauie. Zmylo de Gretzeen, purchrauius Znoymensis, et alii quam plurimi fide digni. Actum et datum Brunne anno domini Millesimo trecentesimo tercio, proxima dominica post diem sancti Nycolai.

(Sex sigilla.) Ex originali in archivo monasterii Aulae S. Mariae F. 1.

CLIX.

Ulricus et Reymundus, fratres de Lichtenburg, fundant hospitale pauperum in Sar et villam Heinrichsdorf et decimas de equitia, telonioque in Chotěboř, et de bonis in subsidium ejus assignant. Dto. in Lichtenburg XII. Kalend. Januarii 1303.

Nos Vlricus et Reymundus fratres, dicti de Leuhtenburch vniuersis christi fidelibus ad quos hoc scriptum peruenerit noticiam subscriptorum. Quoniam dominus ihesus in ewangelio quod vni ex minimis factum fuerit. factum reputat sibi ipsi, ideo nos, ipso aspirante non surdi auditores ewangelii, pro sustentacione pauperum qui sibi derelicti sunt et in quibus ipse suscipitur hospitale in *Sar* fundare, et construere, ac dotare intendimus,

atque inibi pauperibus christi presentis et temporalis, nobis autem vltime ac eterne repausacionis loculum preparare. Itaque domino Arnoldo venerabili Abbati et conuentui in Sar vt ipsum hospitale ab ipsis construi nomine nostro valeat damus villam nostram *Hainrichsdorf* in subsidium cum omnibus attinenciis, et prouentibus suis, videlicet, agris, pratis, pascuis, et monte in quo olim minere argenti defosse sunt, seu quouis nomine censeantur ac ipsam villam et montem cum omni iure quo ad nos a progenitoribus nostris pertinet, transferimus hereditarie in eosdem. Insuper de equiricia nostra quod stuot vulgariter dicitur, decimum poledrum annis singulis eisdem conferimus et tam de theloneo nostro in *Kotiwors*, in presenti quam de montanis aut terris nostris in futuro ex tunc ut ex nunc, sicubi lucrum auri vel argenti effodiendi exortum fuerit secundam decimam nouem videlicet precium que nobis post decimam ipsis prius inibi datam remanserat, addimus omnia hec eorum vsui inperpetuum permansura. Vt autem hec nostra donacio claustro et conuentui in Sar, perpetua perseueret, hanc ipsis nostre donacionis paginam in memorabile testimonium conferimus vtriusque nostrum sigillis efficacius roboratam. Testes nichilominus huius rei sunt, Dominus Smilo de Oberses, Dominus Beniko de Dlusin, Dominus Ch. de Longa uilla. Pschiko de Lipka. Rhosnata de Grenitz. Wanik Schidla de Znentz, et alii quam plures viri fide digni. Actum et datum in Levhtenburch. Anno domini M. CCC. III. XII. Kalendas Januarii.

Ex originali ejusdem monasterii cum sigillis integris. Excussum Steinbach. II. 48.

CLX.

Joannes, episcopus Olomucensis, confirmat conventui monasterii Lucensis dimidiam partem decimarum in Rekwic, quam Zdislaus, plebanus in Křidlowic, eidem in pitantiam ad tempora vitae suae contulit. Dto. in Modřic, X Kalend. Januarii 1303.

Johannes, dei gracia Olomucensis Episcopus. Vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Pie postulacio voluntatis effectu debet prosequente compleri, vt et deuocionis sinceritas laudabiliter enitescat, et vtilitas postulata vires indubitanter assumat.

Ea propter vniuersitati uestre tenore presencium volumus esse notum, quod, cum honestus vir, frater Sdizlaus, plebanus de Grilwicz, dimidiam partem decimarum suarum in Rekwicz, villa parrochie sue, que ipsum de iure annuatim contingunt, venerabili Conuentui Monasterii Lucensis pietatis intuitu dederit, ad utilitatem et specialem pitanciam ipsius Conuentus pro tempore vite sue, nobisque super eo sit humiliter supplicatum, vt ad hoc assensum nostrum prebere et ratum habere ac confirmare hoc, quod factum est in hac parte, ex officij nostri debito dignaremur: nos itaque ad preces et deuotam instanciam nomine dicti Conuentus, et ex parte ipsius fratris Sdizlai deuote nobis oblatam, benignius inclinati, id, quod super dimidia parte ipsarum decimarum in predicta villa pro predicto conuentu per ipsum fratrem Sdizlaum factum est de grato eius affectu, ratum et gratum habemus, et auctoritate, qua fungimur, confirmamus ad tempora vite sue; ita nichilominus, quod iuribus Sedis Apostolice et eius Legatorum ac dyocesani, nec non Archidiaconi in nullo penitus propterea derogetur, et eciam ipsa Ecclesia in Grilwicz in posterum post eiusdem Sdizlai decessum nullum exinde senciat detrimentum, seu aliquod dispendium aliqualiter paciatur, sed exemta et libera sit a qualibet huiusmodi seruitute. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigilli nostri munimine fecimus communiri. Datum in Modricz, anno domini Mill. Trecentesimo Tercio. X. Kalendas Januarij. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CLXI.

Emundus, abbas montis Syon, confirmat resignationem decimarum in Rekwic factam per Zdislaum plebanum in Křidlowice in pitantiam conventus Lucensis. Dto. in Luka, feria IV. post epiphaniam domini. 1304.

Nos Emundus, dei gracia Abbas ecclesie montis Syon, vniuersis Christi fidelibus, ad quos presentes peruenerint, salutem in domino. Presentibus protestamur, quod frater Stizlaus, plebanus in Griluicz, spontanea uoluntate, accedente ad hoc consensu venerabilis fratris nostri, domini th.

abbatis lucensis Monasterii, fratribus suis ibidem coram nobis decimam omnis grani ville in Rekwicz, que ad dictam ecclesiam in grilwicz pertinet, plenarie pro pitancia perpetua resignauit, cui resignacioni et donacioni interfuimus, et annuimus, ac eam duraturam perpetuo confirmamus. In cuius rei testimonium nostrum sigillum cum dicti fratris nostri, domini th. abbatis lucensis Monasterii sigillo presentibus est appensum. Datum Luce, anno domini Mill. CCC. quarto, proxima quarta feria post epiphaniam domini.

Et ego frater zacharias, iuratus notarius, predictis omnibus interfui, et de mandato dictorum dominorum fratrum hoc publicum instrumentum confeci, ac signo meo consueto signaui.

Ex originali in archivo monasterii Lucensis.

CLXII.

Ranožjr, archidiaconus, et Lutko canonicus Olomucensis vidimant privilegium Brunonis, episcopi Olomucensis, super donatione villae Krčmany. Dto. in Olomuc. V. Kalend. Martii 1304.

Nos Ranosirus diuina prouidencia archidiaconus et Lutko canonicus Olomucensis ecclesie, vniuersis ad quos presens scriptum peruenerit recognoscimus et testamur, quod ad instanciam discreti viri Geroldi vicarij eiusdem Olomucensis ecclesie priuilegium super donacione ville Kyrchman nobis presentari fecimus, quod per discretum virum Ortolphum vicarium et sacristanum dicte Olomucensis ecclesie presentatum, vidimus, legimus, et rescribi fecimus per omnia in hec verba: Bruno dei gracia Olomucensis episcopus.. Actum in Olomuc. anno domini MCCLXVI. IV. Nonas Junii. Vide T. III. n. CCCLXXX. Rescriptum igitur. dicti priuilegii, prefato Geroldo qui villam predictam Kyrchman in presenti nomine sue vicarie possidet et suis successoribus dedimus sigilla nostra in testimonium presentibus apponentes. Datum in Olomuz. anno domini. Millesimo. CCC. quarto. V. Kalendas Marcij.

Ex orig. in arch. cap. Olom.

CLXIII.

Joannes, episcopus Olomucensis, monasterio Gradicensi jus patronatus ecclesiae in Hlinsko collatum a nobili Pardo de Hlinsko confirmat. Dto. in Pustoměř, Idibus Martii. 1304.

Nos Joannes, dei gracia Olomucensis Episcopus, notum facimus tenore presentium vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod, cum dilectus, filius Pardus de Hlinsk, uir nobilis, in nostra constitutus presentia cum honorabili uiro, domino Romano, Abbate Gradicensis monasterii apud Olomucz, ordinis Premonstratensis, diocesis nostre, de bona et libera uoluntate sua ius patronatus, quod in predicto Hlinsk sibi et heredibus suis competebat, pro se et heredibus ac successoribus suis omnibus eidem uenerabili monasterio Gradicensi pietatis intuitu liberaliter contulerit et dederit pleno iure: nos ad deuotam instantiam precum predicti domini Abbatis et Pardi eiusdem ipsum ius patronatus in predicta de Hlinsk ecclesia, per iam dictum Pardum dicto monasterio de assensu nostro collatum cum siluis ac iuribus vniuersis, sedis Apostolice et eius legatorum, nec non diocesani et Archidiaconi auctoritate ordinaria confirmamus, et presentis scripti patrocinio fauorabiliter communimus. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum in Postumir castro Anno M. CCC. IV. Idus Martii. Indictione II. Pontificatus nostri anno primo.

Ex annal. Gradicens.

CLXIV.

Heynnigus, civis Brunensis vendit Ruenhero civi et mercatori Florentino molendinum in flumine Swarcawiae cum villa Dornech juxta Brunam. Dto. Brunae Nonas Aprilis 1304.

In nomine domini amen. Ego Heynnigus Ciuis Brvnnensis ad vniuersorum noticiam presentium cupio peruenire, quod ego non vj, nec dolo inductus, aut metu coactus, sed bona, libera et spontanea uoluntate mea,

uolentibus et consentientibus, Katherina vxore mea, ac liberis et heredibus meis videlicet. frenchlino. Ekhardo. Henrico. Katherina. et de ipsorum vnanimj uoluntate uendicionis titulo, do, et trado viro prouido et discreto Ruenhero Ciui et mercatori florentino, molendinum meum situm in flumine quod swarczauia nuncupatur, cum villa, que Dorneho appellatur ipsi molendino adiacente, ac cum ortis, agris, pomeriis et Curticulis in eis piscationibus, cum viis ad idem molendinum eundi et redeundj, redditibus prouentibus, Vtilitatibus, Censibus, libertatibus et omnibus pertinenciis et juribus, ad idem molendinum spectantibus, pro Centum quadraginta marcarum Brvnensis ponderis et argenti, quas ab eodem Ruenhero integre sine aliqua diminucione recepi per eundem Ruenherum et heredes ac successores eius hereditario iure imperpetuum possidendum, uendendum, donandum, legandum, permutandum, alienandum, quocumque alienacionis tytulo et faciendum de ipso tamquam de aliis hereditariis bonis eius, quitquit sibi, et predictis heredibus ac successoribus eius placuerit pro sue libito uoluntatis, de quo quidem molendino cum omnibus supradictis, nichil michi uel heredibus meis ac quitquam alij reseruaui uel reseruo, sed totum predicto Ruenhero et suis heredibus ac successoribus do, et trado ac cedo libere de eisdem, et si qui dictum molendinum cum predictis omnibus uelut ualet uel ualere dinoscitur illud totum dono predicto Ruenhero de gratia et pro gratis et acceptis seruiciis que ab eo me fateor hactenus recepisse. promittens ac obligans me ac dictos uxorem et heredes meos hanc meam uenditionem sepedicto Ruenhero et heredibus ac successoribus eius supradictis ratam semper et firmam tenere, et contra eam per me uel alium aut alios de iure uel de facto aliquatenus non uenire ipsamque semper deffendere et antestare ac disbrigare in propriis sumptibus et expensis ab omnibus hominibus omnibusque partibus sub pena dupli predicte pecunie quam ab eo recepi et meliorationis in quod molendinum predictum et ortus ac predicta omnia in edificio sev labore meliorata parebunt. In hiis autem omnibus et singulis pro me ac predictis vxore liberis heredibusque meis renuntio expresse omni exceptioni non nominate pecunie non ponderati sev non electi argenti dolj et cuiuscumque deceptionis ultra dimidiam iusti precii et omni juris canonici et ciuilis constitutionis consuetudinis uel statuti et specialiter iuris terre morauie ac predicte Brvnensis Ciuitatis pri-

uilegij litterarum sedis apostolice et quarumcumque aliarum impetratarum uel impetrandarum sub quacumque forma uel conceptione uerborum quos ex nunc ut ex tunc esse uolo cassas irritas et inanes auxilio quod mihi uel dictis vxori liberis uel heredibus meis in Judicio uel extra Judicium possent aliquo tempore quomodolibet suffragari. Ne autem inposterum alicui de predicta uenditione dubitatio oriatur, presentes petiui sigillo Ciuitatis predicte Brunensis confirmarj cum nominibus testium qui predicte uenditioni dum fieret affuerunt. qui sunt pilgerinus lapicida de Brvnna. Stephanus prope sanctum michahelem, fridlinus dictus Rehczer, Nicolaus dictus Vurcer. Reymunt Ciues pragenses et plures Viri ydonej et discreti. Actum et datum anno domini Millesimo. CCC IIII nonis Aprilis, in Brvnnensi Ciuitate antedicta.

Ex originali in archivo monasterii Rayhradensis cum sigillo ex parte laeso.

CLXV.

Wenceslaus, rex vendit Ebroni de Kralic judicium villae forensis in Kralic. Dto. Brunae IX. Kalend. Junii 1304.

Rex Wenceslaus uendit Ebroni de Crelicz iudicium uille nostre forensis in Crelicz cum iudicio uille Hyrdoborzicz, uno laneo et taberna, qui soluit quinque halenses in censu, molendino, balneo, duobus macellis carnificum, duabus mensis panni et uno subside in ipsa uilla forensi pro centum marcis argenti. Datum Brunne M. CCC quarto. IX Kalendas Junii.

Orig. in tabulario arcis Towačow. Desumt. in cod. Pernstein. in Museo Mor.

CLXVI.

Benedictus XI. papa, Joannem, Wenceslai Otakari de Bruna filium, dispensat, ut possit ad omnes ordines promoveri. Dto. Perusii, Kalendis Junii. 1304.

Johanni Wenceslai Othachari de Bruma (sic) clerico Olomucensis diocesis. Illegitime genitos, quos vitae decorat honestas, naturae vitium

minime decolorat, quia decus virtutum geniturae maculam abstergit in filiis, et pudicitia morum pudor originis aboletur. Cum itaque Wenceslaus Othachari de Brunna (sic) pater tuus tunc conjugatus te de quadam muliere alii conjugata susceperit, tuque sicut fidedignorum testimonio reperimus, defectum natalium probitate suppleas meritorum, redimens favore virtutum, quod ortus odiosus ademit: nos tuis supplicationibus inclinati, tecum ut eodem non obstante defectu possis ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo etc. nostrae dispensationis etc. Datum Perusii, Kalendis Junii, anno primo.

Ex autogr. regesto liter. Benedicti XI. an. I. epist. 859. in Tabul. Vatic.

CLXVII.

Romanus, abbas Gradicensis, fratribus sui monasterii confirmat XX. marcas, quas Budiš abbas pro pitantia in circuitu Kygow assignavit. Dto. in Hradište, in die s. Wenceslai 1304.

Nos Romanus, miseratione diuina Abbas Gradicensis, presentium tenore fideliter protestamur, quod uiginti marcas in grossis denariis, sexaginta quatuor pro marca computando, quas dominus Budissius, frater noster in Christo dilectus, de sua prouisione in Kygiow, deuote conuentui nostro pro pitantia assignauit, ut pro ipsis in prouincia uel ciuitate duarum marcarum censum sibi comparent annualem, et ut memoria pro ipso Budissio, domino Roberto, parentibus eorum, pro nobis etiam et conuentu nostro, presenti et futuro, parentibus nostris, et ordinis aliisque fidelibus, qui in nostris cemiteriis sunt sepulti, singulis annis memoria sollempnis pro defunctis deuote in medio ecclesie peragatur, et pitancia fratribus per pitantiarium ipso die pro duabus marcis in refectorio ministretur, et competenter quinque pauperes recreentur: ipsam pecuniam, uidelicet uiginti marcarum ponderis memorati uobis fratres de uoluntate unanimi concesserimus, ita ut, quando requisiti fuerimus a uobis, pecuniam predictam reddere debeamus. Pro quo negotio ut fratres nostri essent certiores, si non soluueremus, ad mandatum nostrum fideiussit dominus Chwalko, et prouisionem

suam in Bunyouicz uillam obligauit. Insuper et nos duas marcas in tribus molendinis, videlicet in Bystrzicze circa pontes molendino mediam marcam; in Bielidlo molendino circa Olomucz civitatem marcam unam; et in Hayczin circa curiam nostram tertio molendino mediam marcam sine contradictione qualibet in presenti resignamus annis singulis ipsis pacifice possidendas, donec eis persoluamus pecuniam prefatam. Et si decesserimus (quod absit) pecunia non persoluta, fratres teneant molendina, donec per successorem nostrum viginti marce fratribus persoluantur, qui prius in Abbatem non confirmetur, nisi pecuniam iam dictam soluat, et habeat ratam pietantiam iam sepe fatam. Ut autem hec nostra protestatio et pitantia, cum memoria rationabiliter ordinata, quam tenore presentium authoritate nostra et fratrum voluntate unanimi confirmamus, robur obtineat firmitatis, presens scriptum, sigilli nostri specialis et conuentus ordinauimus roborari. Datum in Gradiss, anno domini M. CCC. IV. in die S. Martyris Wenceslai. Hanc ordinationem pie factam nos Theodoricus, Abbas Montis Sion, auctoritate nostra paterna roborantes, sigilli nostri munimine confirmamus.

Ex annal. Gradic.

CLXVIII.

Testamentum Ortolphi, vicarii ecclesiae Olomucensis, quo villam Droznowice et domum successoribus suis, et alteram domum altaristae ad S. Katharinam legat. Anno 1305.

Cum nullus sit ambignus de morte. sed hora mortis quando aut ubi incubuerit penitus se quisquis ignorare fatetur. Idcirco. ego Ortolfus vicarius ecclesie Olomuc. plene rationis et sanitatis in corpore perfruens uigore et sospitate. ad memoriam perpetuam presencium et futurorum habendam propter accursum uariorum euentuum. tale me profiteor et protestor confecisse testamentum, agros seu redditum possessionem quos emi denariis meis in drossndowicz villa, pro XX. mrc. argenti. do et confero in presenti et post mortem meam. ecclesie maiori kathedr. a qua me recognosco id quod habeo recepisse. hanc formam in erogacione prouentuum. seu fructuum predictorum bonorum. in drossnowicz preseruando.

Taliter quod in die anniuersarii mei semper ex. eisdem bonis mei memoria. in maiori ecclesia precipue et in aliis. in quibus de fructibus prouentuum in anniuersario meo fuerit aliquid errogatum. iugiter et semper habeatur. Videlicet quod ex prouentu dictorum agrorum qui se extendunt ad duas marcas et quinque lothones, primo dominis meis canonicis presentibus qui tunc diuino officio interfuerint quando mearum exequiarum memoria agetur. pro ipsorum consolacione uolo vt eisdem ferto distribuatur, Item uicariis omnibus vna cum magistro IIII. lothus forma sub eadem diuidatur, preterea medius lothus pro candelis et offertoriis inpendatur, Item viginti prebendatis et duobus canpanatoribus (qui stant) lothus vnus equa distribucione scilicet per duos denarios assignetur. Item predicatoribus vnus lothus. et minoribus tantundem. et de residua parte septimi dimidii fertonis singulis septimanis percurrentibus annum complete nouem prebendatis cum canpanatore, qui stat in capella sacristie. viginti denarii parui equa lance distribucionis duos cuilibet dando in quolibet sabbato cuiuslibet ebdomade diuidantur. Et hanc diuisionem predictam seu predictorum meus successor in mea prebenda seu successores secundum sue discrecionis normam et sue consciencie puritatem, hec et singula disponent vigore perpetuo dispensanda. Si autem meus predictus successor. seu successores. gnerra grauante. statum comunem in predictis prouentibus lederentur per destruccionem. seu aliquam uastacionem. et hoc manifestum et publicum fuerit dominis meis canonicis et aliis pluribus probis viris. ex tunc a predicta diuisione memoratorum prouentuum suportabitur seu supportabuntur. predicti mei successores. tam diu. donec iterato predictorum bonorum ualor recrescat. et reformetur. Preterea domum meam do et confero meo successori seu successoribus meis in perpetuum successuris ad prebendam. capelle sancti Johannis baptiste Item tria quartalia in precaz. que solus meis propriis denariis conparaui. adiungo laneo dotali. quem solum ibidem inueni — Preterea quia area in qua domus mea est sita. et constructa. et adhuc alia domus domini Petri vicarii socii mei. est in eadem area situanda. et construenda. de qua parte aree que mea etiam erat. sponte et libere cessi. eidem petro. Vt post mortem ipsius pari condicione suo successori seu successoribus in perpetuum successuris domum suam resignaret conferendo eandem ad prebendam altaris s. Katherine. quam ipse nunc possidet. et

sui successores sunt in sollidum possessuri. Et quia prefate aree est dominus archidyaconus possessor uerus et rector. ob cuius reuerenciam et recognicionem meus successor seu successores. in domo mea. permansurus seu permansuri. in primo introitu in domum meam memoratam. gressum figendo. in ueri sui et proprii domini agnicionem. vnum grossum domino suo archidiacono presentabit seu presentabunt. et equali cursu successor et eciam successores memorati petri in domo ipsius. disponent vnum grossum domino archidiacono eidem saluo tamen censu suo. cui vtraque domus memorate sue aree. et mea. et Petri. mei socii vicarii prefati. per lothonem vnum singulis annis per nostrum successorem et successores: et in quolibet anno. apportabit iure census tocius et ex integro: Hec autem prescripta singula et vniuersa. ordinanda disponenda et exequenda meo successori comitto in perpetuum procurandum. Et ut hec procuracio ordinacionis perpetua stabilitate possit fulciri. sigillis. reuerendi ac venerabilis domini Johannis episcopi Olomucensis tociusque capituli. et domini archidiaconi Ranc(yri). presens scriptum duxi communiri. Acta sunt hec. anno domini M CCC. V. presentibus dominis. Bud(isl.). decano. Cy(ro). preposito. Ran(ciro). archidiacono et quam aliis pluribus canonicis viris ydoneis.

Ex orig. in archivo capituli Olomuc.

CLXIX.

Reinherus, capitaneus Cracoviae, Appardus de Nigromonte, camerariu[s] Boëmiae et Cyno de Florentia omnes eorum possessiones, quas ante Brunam habuerunt, Joanni civi et carnifici Brunensi vendunt. Dto. VII. Kalend. Martii. 1305.

Nos Reinherus Capitaneus Cracouie, Appardus de Nigromonte Camerarius Regni Boemie, Et Cyno de florentia, Notum esse volumus vniuersis presentium noticiam habituris, quod nos hereditatem nostram, sitam ante Brunnam cum omnibus pertinenciis suis et Juribus, videlicet cum Judicio, Agris cultis et incultis, Siluis, Nemoribus, Ortis, Pomeriis, Aquis, Pascuis, Piscinis, Piscacionibus, Et Molendinum cum decem Rotis. quod vvlgariter nominatur in dornech situm et locatum super Swarczam. Et

Zwitawiam fluuina que confluunt ibidem, ante dictam Ciuitatem Brunnam, Et Quatuor Pomeria eidem Molendino contigua, Et duos laneos Censuales, qui Census debet exsolui monasterio Sancti Benedicti vendidimus honesto viro Johanni Carnifici, Ciui Brunensi pro Trecentis et Triginta Marcis Grossorum Pragensium, Morawicalis Ponderis sibi et suis heredibus successiuis, hereditarie possidendum, sub eadem forma iuris qua et nos ipsam hereditatem tenuimus, et possedimus libere et solute, promittimus insuper prefatum Johannem in nostram protectionem recipere et tutelam, et ab vniuersis tueri et defendere, per quos sepedicto Johanni possint omnino in prefata hereditate inpedimenta vel molestie irrogari. In cujus Rei Testimonium, et Robur perpetuum, presentes et sigillorum nostrorum muniminibus iussimus communiri. Actum et Datum. anno Incarnationis Dominice. M[illesimo] Trecentesimo, Quinto. Septimo Kalendas Marcii.

Ex original in archivo monasterii Rayhradensis cum duobus sigillis bene conservatis.

CLXX.

Joannes, episcopus Olomucensis, Hartmannum plebanum ad ecclesiam in Wažan, praesentatum confirmat. Dto. in Modřic, Kalendis Martii. 1305.

Nos Johannes dei gratia Olomucensis episcopus. Notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod cum Hartmannus, quondam plebanus de Brunsperch nostri episcopatus, ipsam ecclesiam suam in Brunsperk cum Milicio quondam plebano de Wasan, pro eadem ecclesia sua in Wasan, de consensu nostro permutauerit, ex causis rationabilibus atque iustis, nos ipsum Hartmannum in predicta ecclesia in Wasan ex permutatione huiusmodi ac libera resignatione de iure vacante, ad presentationem et petitionem religiosarum dominarum .. Priorisse et conuentus sororum ordinis fratrum predicatorum apud sanctam haterinam in Olomucz, in qua ipsa priorissa et conuentus eius predictus, ius plenum obtinent patronatus, rectorem instituimus legittimum et plebanum; ipsam sibi cum omnibus pertinentiis auctoritate, qua fungimur, confirmantes, et animarum curam et re-

gimen ibidem ei, prout ad nostrum spectat officium committentes. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigilli nostri munimine fecimus communiri. Datum in Modricz anno domini Millesimo trecentesimo quinto. Kalendis Martii; pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in archivo S. J. Brunn.

CLXXI.

Joannes, episcopus Olomucensis, confirmat testamentum Wernheri scholastici Pragensis et canonici Olomucensis. Dto. in Pustoměř XI. Kalend. Aprilis. 1305.

IN nomine domini amen. Ego Vernherus scolasticus Pragensis ecclesie et canonicus Olomucensis, attendens quod nichil cercius est morte et nichil incercius hora mortis. In bona ualetudine corporali sana mente atque bona ratione et si testamentum facere non potui quod de propriis nichil habui tamen ea que ab ecclesiis habui de jure dare potui valens saluti anime mee prouidere, dedi leprosis et hospitali omnia que in prebenda mea in Topolan me constat habere uidelicet iumenta omnia cum poledris omnibus omnia animalia tam magna quam parua omnes porcos magnos et paruos oues omnes sine diminucione annonas tam hyemales quam estiuales cum omnibus que sunt ibi seminata uel que per me debent seminari et pullos omnes ut eque post mortem meam inter eos diuidantur pro remedio anime Peregrini et pro salute anime mee. Item dedi Luduico et Daliconi meis seruientibus omnia iumenta cum poledris omnibus animalia omnia tam magna quam parua oues omnes cum omnibus porcis et pullos cum satis estiualibus in villa que Wsiscze nuncupatur, hyemalia uero ibidem successori meo de iure debentur, Item dedi Ortlino seruienti meo in Ribnik omnia iumenta cum omnibus animalibus et omnes annonas item in longa villa relinquo pro obedienciario qui pro tempore fuerit pro prebenda quam creaui in ecclesia Olomucensi pro panibus et distribucione denariorum, II. marcas grossorum. cum dimidia marca. Eidem etiam obedientiario ibidem tres fertones grossorum et dimidium fertonem pro curia in Hodina quam Theodricus vicarius meus habet, item eidem Th(eodrico)

vicario meo in longa villa relinquo pro reditibus vicarie IIII. marcas grossorum et vnam marcam pro panibus. Item in eadem villa pro missa sancte Marie relinquo custodi uel sacriste quem capitulum Olomucense posuerit pro tempore II. marcas grossorum cum dimidia marca. Reliqua uero in eadem villa deputo videlicet IIII. marcas grossorum minus fertone, addimenta extendunt se ad II. marcas minus medio fertone. Ita in vniuerso sunt, VI. marce et ferto et dimidius, quarum marcam grossorum in aniuersario meo do tam pro candelis quam pro offertorio ecclesie Olomucensi, singulis annis perpetuo, et fertonem pro vicariis, et alium fertonem pro prebendatis, tamen ita quod quilibet vicariorum in die mei aniuersarjj pro anima mea dicat missam defunctorum, et prebendati psalteria. Item fratribus minoribus in Olomucz in aniuersario meo dimidiam marcam Item predicatoribus dimidiam marcam in aniuersario meo tali condicione adiecta vt amborum monasteriorum fratres sacerdotes eodem die dicant pro anima mea missam defunctorum Item sororibus sancti Jacobi in aniuersario meo fertonem. Item sororibus sancte clare in aniuersario meo fertonem, Item sororibus sancte katharine in aniuersario meo fertonem, Item inter infirmos pauperes in hospitali qui iacent ingrabatis diuidatur ferto grossorum, Reliqua uero pecunia, videlicet duo marce grossorum, quarum vna detur in aniuersario domini regis Ottacari tam pro candelis tam pro offertorio secunda uero marca detur in aniuersario domine regine Chunegundis vxoris eiusdem regis ottacari tam pro candelis quam pro offertorio et hoc singulis annis perpetuo Item relinquo fratribus minoribus, III. marcas grossorum, predicatoribus, III. marcas grossorum. Sororibus sancti Jacobi. II. marcas grossorum, sororibus sancte clare II. marcas grossorum, Sororibus sancte katharine II. marcas grossorum, ecclesie sancte Marie pro nowo choro faciendo, II marcas grossorum, Seruienti meo ortlino, marcam et dimidiam grossorum, Semhapconi seruienti meo, II. marcas grossorum. Item Jaclino filio michaelis ciuis wyenensis detur equs niger paruus ambulator, cum sella parua et mediam marcam ad expensas pro ipso et filio sororis sue, ut ad patrem Wyen(nam) reuertantur, Item equum qui emptus fuit in Cojetyn dedi fratribus minoribus in Olomucz, Item spadonem dedi predicatoribus, Item coflicum aureum dedi domino Wl(rico) preposito Pragensi confratri meo ut nemoriam anime mee habeat. Item Wernusio dedi

decretales meas, viaticum uero meum dedi Henrico nepoti meo canonico Pragensi et Olomucensi, Item lectum vnum meliorem dedi Conrado clerico meo, alium uero lectum cum omnibus puluinaribus cum culcitra decendato et choopertorio Wlpino et omnibus lihtheaminibus cum cussino de purpura do pauperibus ad hospitale, Item precium domus mee quicunque ipsam exsoluerit, pro XXV. marcis iuxta statutum capituli Olomucensis, detur ecclesie Olomucensi, pro fundanda nowa campana Nolo autem ut ipsa domus detur nepoti meo ad exsoluendum, Item duo tapetia dentur ecclesie Olomucensi, Item omnia que habeo comestibilia in domo mea tam in tritico quam in siligine, quam in auena quam in ordeo pernis et caseis, debent dari pauperibus exceptis duobus modiis siliginis et modio tritici et meliori perna que debent dari Conrado clerico meo, Item radczlao doctori paruorum, duas marcas grossorum, verum, VI. marce et ferto et dimidius que remanent in longa villa superflue debent dari per dominum Thechoncium canonicum Olomucensem et per Theodricum vicarium meum personis statutis temporibus sicut superius in testamento plenius est expressum Et hoc singulis annis perpetuo Et si quis predictorum duorum viam vniuerse carnis fuerit ingressus loco illius defuncti instituatur alter per capitulum Olomucense ita videlicet ut vnus canonicus Olomucensis, et alter vicarius altaris mei sancti Michaelis que supradicta sunt semper exequantur, Quos institui rectores et procuratores post mortem meam in longa villa usque ad finem eorum et hoc in bona ualetudine corporali, vt eadem villa per eosdem semper gubernetur qui etiam pro laboribus ipsorum in eadem villa habebunt gallinas censuales ab hominibus eiusdem ville. LXXX, minus IIII. gallinis et omnes culpas, ita tamen quod canonicus habeat, XXXXVI. et vicarius XXX, volo etiam quod si idem vicarius deses fuerit uel negligens in exequendo hec que dicta sunt per dominum decanum compellatur ad hoc faciendum per priuationem ipsius vicarie, Et si etiam indumenta altaris per uetustatem fuerint consumpta, idem vicarius, videlicet altaris sancti Michaelis, qui habet vicariam bonam propriis sumptibus debet reformare, Preterea volo quod idem vicarius, omni secunda. feria pro anima regis Ottacari et pro anima vxoris sue Chunegundis et post mortem meam pro anima mea dicat missam defunctorum quinta feria missam de angelis dominicis vero diebus missam de sancta Trinitate, Eadem etiam villa post

mortem non debet aliquatenus distrahi in diuersas partes sed tota integra debet remanere sub regimine predictorum et iudiciis eiusdem ville, qui habebit terciam partem culparum, rectores uero, duas partes, que equaliter inter eos diuidantur, quia hoc habitatoribus eiusdem ville et iudicii fide data promisi in emptione, volo etiam quod homines dicte ville nec aliqua vectura nec in maiori censu debeant honerari, Executores vero mei testamenti constituo venerabilem virum dominum Wlricum prepositum Pragensis ecclesie et magistrum Johannem de sclacnverd, Datum. et actum in Olomucz anno domini M CCC V, In die sancte Scolastice virginis. Nos itaque Johannes dei gracia Olomucensis episcopus, presens testamentum eiusdem magistri Wernheri, venerabilis et dilecti fratris nostri, in hoc instrumento super hoc confecto seriatim contentum, ratum et gratum habentes, ipsum, auctoritate qua fungimur confirmamus, et sigilli nostri munimine fauorabiliter communimus. Vniuersis et singulis sub excommunicationis pena mandantes firmiter et districte, ne quis ipsum testamentum aliqualiter impedire, seu ei ausu temerario in aliquo audeat contraire, alias omnipotentis dei grauem indignationem, et predictam penam proinde se nouerit incursurum. Datum in Pustimir XI. kalendas aprilis sub anno domini predicto.

Ex originali in archivo capituli Olomuc.

CLXXII.

Joannes, episcopus Olomucensis, Henrico advocato judicium in Mohelnice emtum ab Hermanno advocato confirmat, aliaque bona confert. Dto. in Pustoměř, IV. Kalend. Aprilis. 1305.

Nos Joannes, dei gracia Olomucensis Episcopus, harum serie notum facimus vniuersis, quod nos Venerabilis domini quondam Brunonis, predecessoris nostri felicis memorie, priuilegium quoddam, Hermanno, aduocato in Miglicz, per ipsum olim datum, super iudicio et duobus mansis ac aliis, ad ipsum iudicium ibidem pertinentibus, quod nobis Henricus, nunc aduocatus noster de ipso Miglicz, exhibuit, uidimus et legimus in hec uerba: Bruno, dei gracia Fpiscopus Olomucensis, Hermanno laico etc. anno domini MCCLXXIII in die Sanctae Catharinae. Vide T. IV. n. LXXV. —

Quocirca cum a nobis petitur, quod iustum est, tam uigor iuris quam ordo postulat rationis, ut id ad exauditionis graciam fauorabiliter admittamus. Cum igitur supradictus Henricus, aduocatus noster, ipsum iudicium in Miglicz a supradicto Hermanno aduocato cum omnibus predictis attinentiis suis emerit pro certa pecunie quantitate, et ea, que emit, sibi a nobis humiliter postulauit confirmari: nos ipsius deuota precum instantia benignius inclinati, emptionem eius iam dictam super iudicio in ipso Miglicz cum suis attinentiis iuxta continentiam priuilegii ante scripti ratam et gratam habentes, ipsum authoritate, qua fungimur, confirmamus, et presentis scripti patrocinio communiuimus. Et quia idem Henricus, aduocatus noster, cum propria deuotionis affectione deuota obsequia nobis gratanter exhibuit, exhibet ad presens, et exhibebit dante Deo attentius in futuro. Propterea nos volentes digne retributionis prosequi fauoribus, decem mensas sutorum, quatuor mensas panum, duo macella, que apud alia macella nostra de nouo construere debet, et domum nostram in ipsa ciuitate nostra Miglicz, nec non molendinum in Smol, quod ad nos pertinet, sibi liberaliter conferimus et donamus, per eum et heredes eius libere possidenda. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigilli nostri munimine fecimus communiri. Datum in Pustimerz Castro anno domini Millesimo Trecentesimo quinto, IIII Calendas Aprilis. Pontificatus nostri anno secundo.

E copiar. priv. ejusdem civitatis.

CLXXIII.

Wenceslaus, rex, Vitlino de Olomuc, camerario camerae suae, pro debitis CC marcis, villam Laullowicz oppignorat. Dto. Pragae XII. Kalend. Maji. 1305.

Nos W. dei gracia, Boemie et Polonie Rex, notum facimus vniuersis, presentes literas inspecturis, quod nos in ducentis marcis argenti in grossis denariis Pragensibus Morauici ponderis, sexaginta quatuor grossos pro marca qualibet computando, quas Vitlino de Olomucz, camerario camere nostre, ratione dotis et pro dote Cunegundis, vxoris sue dare debemus ipsi Vitlino et vxori eius predicte ac heredibus ipsorum villam nostram,

dictam Laullowicz, cum omnibus vtilitatibus et pertinentiis suis titulo pignoris pignoramus, volentes, vt ipse Vitlinus et vxor eius prefata ac heredes ipsorum villam eandem teneant, et fructus percipiant de eadem tamdiu, quousque eis per nos uel per filium nostrum dicte ducente marce fuerint integre persolute. In cuius rei testimonium presentes literas fieri, et sigillo Maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage anno domini Millesimo Trecentesimo Quinto. XII. Kalendas Maii, tercie Indictionis. Anno Regnorum nostrorum Boemie Octauo, Polonie uero Quinto.

(Sig. laesum.) Ex originali in archivo monasterii aulae reginae Brunae.

CLXXIV.

Wenceslaus, rex Boëmiae, ratificat venditionem molendini ante civitatem Brunam in flumine Swarcawa siti et olim Reynerio, Apardo et Cyno, sociis de Florentia, donati. Dto. IV. Nonas Maji 1305.

Nos Wenczlaus dei gratia Boemie et Polonie Rex. Notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis. Quod cum fideles nostri Dilecti Reynerius, Apardus, et Cyno, Socii de florentia, molendinum ipsorum ante Ciuitatem nostram Brunensem super Aquas Swarczauiam et Zwitauiam in loco qui dicitur Dorneych, situm, quod eis, cum Pomerio, Censu, prouentibus, redditibus, vtilitatibus, Judicio, libertatibus, et pertinentiis ac Juribus omnibus ad idem molendinum spectantibus, olim hereditario iure contulimus, necnon Duos Laneos et agros alios cum pomerio etiam ibidem circa dictum molendinum sitos, quos dicti Reynerius, Apardus et Cyno a certis personis ad prefatum molendinum pro sua pecunia compararunt, cum vniuersis prouentibus et vtilitatibus eorumdem, Johanni Carnifici Ciui nostro Brunensi pro Trecentis et Triginta marcis argenti morauici ponderis vendiderint, per ipsum Johannem et heredes suos molendinum predictum cum Laneis et agris ac alijs omnibus et singulis supradictis, dicto hereditario iure inperpetuum possidendum. Nos, Reynerii, Apardi, Cynonis, et Johannis, predictorum supplicationibus inclinati, vendicionem et empcionem huiusmodi ratas habentes et gratas, vt tamen ipse quam heredes sui molendinum predictum cum omnibus et singulis supradictis, dicto hereditario

iure tenere debeant perpetuo et habere, et etiam de ipsis tamquam de re sua possint facere, velle suum. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et Sigillis majestatis nostre iussimus communiri. Datum Anno domini millesimo Trecentesimo Quinto. IIII. Nonas Maij. Indiccione Tercia. Anno Regnorum nostrorum Boemie Octauo. Polonie uero Quinto.

Ex originali in archivo monasterii Rayhradensis cum sigillo maxima ex parte laeso.

CLXXV.

Wogslawa, relicta Jenconis de Doblin, attestatur, quomodo villa Birnbaum ab ecclesia in Ważan sit alienata. Dto. in Tišnowic, in die S. Stanislai 1305.

Ego Woyslawa relicta quondam domini Jenzonis bone memorie de Doblyna notum facio singulis ac viniuersis presens scriptum inspecturis, quod religiose domine, domina Katerina priorissa et conuentus sororum monasterii sancte Katherine ordinis predicatorum in Olomuncz requisiuerunt a me, per quem modum villa Pyrbaum esset alienata a parochiali eclesia, videlicet eclesia in Wasan. Ad quod ego Woyslawa tanquam patrona, que propter deum contuli et dedi ius presentandi predictis dominabus ac monasterio sancte Katerine in Olomuncz predicte ecclesie in Wasan, aduocans in testimonium honestos viros dominum Paulum, plebanum in Thusnowicz et magistrum Fridericum, rectorem hospitalis ibidem in Thusnowicz, et fratrem Budislaum de ordine predicatorum, meum confessorem, coram eis interrogata et iurata confiteor et protestor, quod predicta villa Pyrbom tytulo fundationis et didicationis semper spectabat ad parochialem eclesiam in Wasan; et quando predictus dominus Jenzo et frater suus dominus Harthlibus diuiserunt hereditates patrimoniales, tunc villa Pirpom nomine hereditatis cessit domino Harthlibo; et sub pretextu huius alienauit ipsam villam Pyrbom ab eclesia parochiali in Wasan, de facto et non de iure, et adiunxit sue eclesie in Krenwicz, contra voluntatem predicti Jenzonis mei mariti et contra voluntatem meam. In cuius protestationis ac confessionis mee testimonium, presenti scripto meum sigillum appendi et

rogaui predictos honestos viros dominum Paulum et dominum Fridiericum plebanum eclesie in Thusnowicz et rectorem hospitalis ibidem, vt sua sigilla presenti scripto appenderent in testimonium, quod beniuole fecerunt. Actum et datum in Thusnowicz anno domini MCCCV. die sancti Stanyslai marthiris ac pontificis.

Ex originali in archivo monasterii Cellae S. M. Brunae.

CLXXVI.

Wenceslaus, rex Boëmiae, judicium in villa forensi Kralic cum attinentiis et cum judicio in Hrdibořice Ebroni de Kralic vendit. Dto. Brunae, IX. Kalend. Junii 1305.

Nos Wenceslaus dei gratia Boemie et Polonie rex. Notum facimus uniuersis quod nos iudicium ville nostre forensis in Crelicz cum iudicio ville Hridoborzicz, uno laneo et taberna que soluit quinque lotones in censum, molendino, balneo, duobus macellis carnium, duabus mensis panum et uuo subside in ipsa villa forensi, ac aliis iuribus ad idem iudicium rite spectantibus Ebroni de Crelicz vendidimus pro centum marcis argenti in grossis denariis pro marca qualibet, et easdem marcas integre recepimus ab eodem, per dictum Ebronem et heredes ipsius hereditario iure in perpetuum possidendum, ita tamen, quod de dicto iudicio quolibet anno in festo beati Georgii ipse Hebro et heredes sui predicti X marcas argenti in denariis grossis et pondere supradictis nobis soluere teneantur. Causas uero, que ad iudicium Camerarii nostri pertinent, quas videlicet in Olmucz, in Bruna et aliis ciuitatibus nostris Morauie ipse iudicare consueuit, non ipse Ebro vel heredes sui, sed ipse camerarius uel villicus ibidem in Crelicz iudicabit, et ipse Hebro vel heredes sui habebunt tertium denarium de eisdem. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Brune per manus venerabilis Petri Basiliensis episcopi, Wyssehradensis prepositi, regnique Boemie Cancellarii, principis nostri dilecti, anno domini M. CCC. V., IX. Kalendas Junii, indictione II. anno regnorum nostrorum boemie octauo; Polonie uero quarto.

E cod. Pernsteiniano MS. sec. XV. in Museo Moravico. — Orig. in archivo Towačowiensi.

CLXXVII.

Joannes, episcopus Olomucensis, Stemfloni de Mladègowice bona ibidem in feudum confert. Dto. in Kremsir VI. Kalend. Junii 1305.

Nos Johannes dei gracia Olomucensis episcopus. Notum esse cupimus vniuersis, et presentibus protestamur, quod nos de consilio consensu et fauore dilectorum nobis fratrum, dominorum Budizlai decani, Cyri prepositi, Rancyr archidiaconi, ac tocius capituli nostre Olomucensis ecclesie quandam obligacionem, saluo iure ipsius capituli, admisimus et consensimus ad eandem, videlicet, quod Stemflo de Mladeyowicz, famulus noster, nomine pignoris omnia bona sua, que tenet a nobis et ab ecclesia nostra, in villa Mladeyowicz, et in villis attinentibus, excepta curia sua et sex laneis ibidem in Mladeyowicz, Nicolao Mengoti, ciui Olomucensi, exhibitori presencium, in trecentis marcis argenti siue grossorum ad pondus morauicale, cum omnibus suis pertinentiis obligauit, tali nihilominus adiecta condicione, quod idem Stemflo bona ipsa nobis cum dextrario, prout in privilegio suo continetur, deseruire tenetur, ac si ea personaliter possideret. Si autem Stemflo negligens in iamdicto seruicio nobis esset, tunc Nicolaus prefatus vice dicti Stemflini, cum feudales alii requirantur, per se, aut per alium nobis eadem seruicia, que Stemflinus sepedictus facere tenetur, explebit, vel quinque marcas nobis pro huiusmodi seruicio assignabit. Si uero negligeret et requireretur generaliter sicut ceteri feudales et non seruiret, nec quinque marcas loco seruicii presentaret, primo termino negleccionis dabit duplum scilicet decem marcas. Secundo termino si negliget similiter decem, tercio similiter si requiretur et negliget, et quinto decem dabit. Quinto uero termino ipsa bona ad nos cum iuris plenitudine libere deuoluentur. Preterea adicimus si aliquis tempore succedente iure coram nobis dicta bona impetat uel impugnet, et ea ab ipso Stemflyno per iusticiam obtinebit, ex tunc Nicolaus antedictus nullo obstante medio, illi, qui eadem per iusticiam obtinebit, statim condescendere et cedere teneatur. Reseruamus eciam nobis, cum simus dominus bonorum predictorum, omnem myneram cuiuscunque metalli, et alia iura, que ad nos pertinere in dictis bonis dignoscuntur, et que in sepedicti Stemflyni priuilegio exprimuntur.

Demum reseruantes nobis et successoribus eciam nostris, si Stemflo, aut heredes eius masculi duntaxat a prefato Nicolao, uel heredibus eius nequiuerint exsolvere dicta bona, quod ea si nobis placuerit, ab ipso Nicolao, uel heredibus eius iampredictis, uel successores nostri, in summa pecunie memorata exsoluere valeamus. In cuius obligacionis, et nostri ad hec consensus testimonium, presentem litteram fieri fecimus, et tam nostro, quam capituli Olomucensis, ac ciuitatis Olomucensis sigillis decreuimus roborari. Datum iń Cremsir anno domini millesimo trecentcsimo quinto. VI. Kal. Junii. Pontificatus nostri anno tercio.

Ex orig. in archivo archiepiscop. Olomuc. Cremsirii.

CLXXVIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae, concedit Budislao, decano Olomucensi, facultatem cum suis bonis disponendi. Dto. Pragae, Nonis Junii. 1305.

Wencezlaus dei gracia Boemie et Polonie rex, omnibus inperpetuum. Innata nobis prouidentie regalis maturitas, ea, qua nos decet, mansuetudine, regnare in subditis, vt precum considerata iustitia, digne petentium desideriis, exaudicionis graciam, et pium non denegemus assensum. Sane quia dilectus familiaris et capellanus noster, Budyzlaus, decanus Olomucensis, ad nostram accedens presentiam, humiliter et affectuose petiuit a nobis, vt, sibi, quod hereditates, possessiones, et alias res suas patrimoniales, ceterasque, non ecclesie, sed persone sue intuitu acquisitas, daret, disponeret, et ordinaret, quo vellet, auctoritatem et licentiam preberemus. Nos, qui, libenter, iuste petentes, attendimus, et eis, voti, graciose non negare solemus effectum, Budyzlai ipsius precum instantia et humilitate inducti, hoc benigne admittimus, et fauemus eidem, vt de ipsis hereditatibus, possessionibus, et omnibus aliis rebus suis patrimonialibus, ceterisque, non ecclesie, sed persone sue intuitu acquisitis, tam mobilibus quam inmobilibus et in vita et in morte possit disponere pro sue libito voluntatis. Et quicquid de ipsis vendendo, permutando, donando, legando, vel quocunque alio

dam prouinciali fratrum predicatorum per Boemiam, et Magistro Johanne de Slakenuerd, decretorum doctore, ac Heinrico Sturmonis Pragensibus canonicis, quibus, nobis infirmitatis nostre lecto iacentibus, hec et omnia alia, que per nos quibuscumque iniuste ablata esse dicerentur, determinanda et expedienda commiseramus, bona ipsa ipsius Olomucensis Ecclesie restituimus, et ei plenam possessionem dari fecimus eorundem, et uolumus, ut deinceps ipsa Olomucensis Ecclesia bona ipsa cum villis, hominibus, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, nemoribus, rubetis, montibus, planis, fluminibus, piscationibus, aquis, aquarumue decursibus, et cum omnibus aliis iuribus, vtilitatibus et pertinentiis suis, et cum omni honore ac libertate, que ipsa Olomucensis Ecclesia in bonis ipsis tunc, quando sibi per nos ablata fuerint, habuerat, iure proprietatis tenere, possidere debeat et habere. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage. Anno domini M. CCC. quinto. XII. Kalendas Julii. Indictione III. Anno regnorum nostrorum Boemie nono, Polonie uero quinto.

E Cod. membr. in archivo capituli Olomucensis. I. f. 32.

CLXXX.

Joannes, episcopus Olomucensis, vidimat et confirmat monasterio Tisnovicensi litteras Brunonis, episcopi Olomuc. ab anno 1272, et Gerhardi, archiepiscopi Moguntini, ab anno 1296. ecclesiam S. Petri Brunae concernentes. Dto. in Pustoměř, X Kalend. Octobris 1305.

In nomine domini Amen. Nos Johannes dei gracia Olomucensis Episcopus. Notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod nos domini quondam Brunonis Episcopi venerabilis predecessoris nostri, et Reuerendi Patris ac domini G. (erhardi) Archiepiscopi Maguntini, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarii, priuilegia seu litteras, non cancellatas, non abrasas, non abolitas, nec in aliqua sui parte viciatas, cum veris et integris, ipsorum, et Capituli Ecclesie nostre sigillis, exhibitas nobis, per honorabiles et dilectas in Christo dominas, Annam, Abbatissam, et Conuentum Sororum Monasterii de *Tusnowicz*, ordinis Cysterciensis

dyocesis nostre, vidimus et perlegimus personaliter in hec verba. Bruno dei gratia Olomucensis episcopus ... usque Datum loco et termino prenotatis. vide T. IV. n. LXVII. Alterae autem tenor talis. Gerhardus, dei gratia Sancte Maguntine sedis Archiepiscopus .... Datum Maguntie Idus Martii MCCXCVI. vide in hoc tomo n. XLVII. Quocirca nos considerantes attente, quod supradicta domina Abbatissa, et Conuentus eiusdem Monasterii de Tusnowicz sub Religionis contemplacione legali, cum clare humilitatis, et prone deuocionis ardore, omnipotenti domino famulantur iugiter, et ob id volentes eas in iuribus, et vtilitatibus Monasterii ipsarum manutenere, et quantum ad nostrum spectat officium, nostrarum promocionum attollere presidiis oportunis, ipsis, iuxta continenciam priuilegii predicti venerabilis predecessoris nostri, et Capituli Ecclesie nostre, auctoritate ordinaria, sic eciam duximus prouidendum, quod in *Bossonoh* siue *Parvvz*, omnes vtilitates, quecunque obuenire poterunt, ad eas, et ipsum Monasterium in Tusnowicz pertineant, et in villa *Curim*, omnes decimas nomine Monasterii percipiant, iuxta continenciam priuilegii domini Brunonis Episcopi antedicti. Ita quod in eisdem villis nullus penitus, preter abbatissam et Conuentum dicti Monasterii, sibi possit super utilitatibus et decimis predictis, saluo eo, quod in predicto priuilegio continetur, aliquid vendicare. Ad hec earundem dominarum et Monasterii condicionem meliorari volentes, vt eo liberius diuinis insistant cultibus, quo efficacius in temporalibus indigenciis se senserint releuatas, non obstante statuto Reuerendi Patris, domini G.(erhardi) Archiepiscopi Maguntini, predicti nostri Metropolitani, de Religiosis non presentandis ad Ecclesias ad Religiosorum presentacionem spectantes, iuxta litteras et interpretacionem prefatam dicti domini Archiepiscopi, omnes capellanos ipsarum, familiares et oblatos, in Ecclesia sancti Petri in Brunna, et in aliis Ecclesiis, in quibus Jus patronatus habere dignoscuntur, presentatos nobis per eas, instituere volumus de consensu capituli nostri iam requisito et habito, pro plebanis legittimis et rectoribus earundem. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigilli nostri munimine fecimus communiri. Datum in Pustimir anno domini Millesimo Trecentesimo Quinto. X Kalendas Octobris. Indictione tercia.

Nos uero Budizlaus Decanus. Cyrus Prepositus. Ranczyrus Archidiaconus, totumque Capitulum Olomucensis Ecclesie nostre, predicta omnia

et singula, in hoc instrumento contenta, per venerabilem Patrem nostrum, dominum Johannem Episcopum Ecclesie nostre, approbata et concessa, rata et grata habemus, et nostrum adhibentes consensum ad robur eorundem sigillum Capituli nostri duximus apponendum. Datum anno et die predictis.

Ex orig. cum duobus sigillis in archivo ejusdem monasterii.

CLXXXI.

Kadoldus de Polom testatur, monasterium ad S. Katharinam Olomucii bona sua in Čech, Služjn, Wšebořic et dimidium Ohrozim cum domino Miličio de Citow pro bonis Brod, Miličow et Citow commutasse. Dto. Olomuc, IX. Kalend. Decembris 1305.

In nomine domini amen. Nos Cadoldus, dictus de Polomey, notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod, licet super permutatione bonorum ac possessionum, que inter nobilem virum, dominum Milichium quondam de Chietow ex vna parte, et Priorissam ac Conuentum dominarum de sancta Katherina in Olomuz ex alia intercessit, per nos et dominum Onsonem de Chisteslemene, tunc Camerarium Olomucensem, et per dominum Bludonem, quondam purcrauium, et Wimmarium, judicem ciuitatis Olomucensis et prouincie, sub nostris sigillis publica emanauerint instrumenta, per que dicta permutatio sufficientissime declaratur; quia tamen in colloquio, quod nunc anno domini M. C. C. C. V. proximo die post festum omnium sanctorum cum diebus sequentibus in Olomuc exstitit celebratum, per predictas dominas de sancta Katherina in iudicio est obtentum, ac per diffinitiuam sententiam domini Sdeslay camerarii et Johannis Zudarii adinuentum, quod nos super eadem permutatione in proximo futuro colloquio debeamus testimonium perhibere, quamuis idem testimonium in eodem colloquio nunc celebrato ferre debebamus, si per dominum Sdeslaum Camerarium ad futurum colloquium facta huiusmodi testimonii dilatio non fuisset: timentes, ne dictis dominabus nostrum testimonium aliqualiter puta per mortem vel alio casu valeat deperire, tenore presentium protestamur, ac sincera fide fatemur, quod sorores Ordinis Predicatorum de Olomuz ad sanctam Katherinam, habita sana ac matura deliberatione, de communi ac

simo CCC. V. proximo die post festum omnium sanctorum cum diebus sequentibus in Olomuz exstitit celebratum per predictas dominas de Sancta Katherina, in iudicio est obtentum, ac per diffinitiuam sententiam domini Sdeslai Camerarii et Johannis zudarij adinventum, quod nos super eadem permutatione in proximo futuro colloquio debeamus testimonium perhibere, quamuis idem testimonium in eodem colloquio nunc celebrato ferre debebamus, si per dominum Sdeslaum Camerarium ad futurum colloquium facta huiusmodi testimonii dilatio non fuisset: timentes, ne propter corporis debilitatem, cum valetudinaria egritudine laboremus, dictis dominabus nostrum testimonium aliqualiter puta per mortem uel alio casu valeat deperire, tenore presentium protestamur, ac sincera fide fatemur, quod sorores Ordinis Predicatorum de Olomuz ad sanctam Katherinam habita sana ac matura deliberatione de communi ac vnanimi assensu hereditates suas, quas hereditarie et pacifice possederunt, videlicet Cech, Slusin, et in Wseboritz quintum dimidium laneum, nec non Ohrozim dimidium a ludeuico, Ciui de Olomuz, emptum, quod hereditarie possidebat, prout etiam dicte sorores possederunt hereditarie et quiete, cum vniuersis et singulis, ad prefatas hereditates spectantibus, scilicet vineis, siluis, pratis, piscinis, cum omni vsufructu, coram nobis et nobilibus, qui tunc affuerunt in Olomuz in Suda, nullo contradicente seu retractante, domino Miliczio cum consensu filii sui Alberti pro suis hereditatibus propriis et innatis, videlicet Brod, Militozw et Cyetovv, cum siluis, pratis, molendinis, fluminibus et piscationibus liberis, nec non cum omnibus, que ad hoc spectant, facta permutatione resignauerunt etiam suis successoribus libere possidendas, prout etiam dictus Milicius cum consensu ipsius consortis iam dictas hereditates sororibus prefatis rcsignauit et cessit libere ac perpetuo possidendas. In cuius rei testimonium presentes litteras sigillo nostro duximus sigillandas. Datum in Chisteslemye in domo nostra. Anno domini supradicto. Octauo Kalendas Decembris.

(Sig. laesum.) Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CLXXXIII.

Joannes, episcopus Olomucensis, confirmat ordinationem praedecessoris sui, qua ecclesiam S. Petri Brunae collegiatam fecit. Dto. in Modřic, III. Kalend. Decembris 1305.

Nos Joannes, dei gratia Olomucensis Episcopus, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod dominus quondam Theodoricus, episcopus Olomucensis, venerabilis predecessor noster, ad instantiam Serenissimi domini nostri quondam Wenceslai, Boemie et Polonie regis, de consilio prelatorum et canonicorum eiusdem ecclesie nostre Olomucensis, ecclesiam S. Petri in Brunna conuentualem fecit, et ius collegii attribuit eidem, ita quod Collegiatarum et conuentualium ecclesiarum nostrarum aggregatu priuilegio deinceps potiatur; et quia, quod iuste et rationabiliter gestum est, a suo uigore excedere iuris ratio non permittit, nos dicti predecessoris nostri dispositionem et ordinationem huiusmodi factam de consilio dictorum Ecclesie nostre prelatorum et Canonicorum ratam et gratam habemus, et eam authoritate, qua fungimur, liberaliter confirmamus, quod in antea conuentualium et collegiatarum ecclesiarum numero censeatur, ac ipsarum libertate et priuilegio ulterius gaudeat pleno iure. Ne igitur de ipsa dispositione et ordinatione dicti predecessoris nostri alicui dubium aliquod oriatur, tenorem litterarum ipsius super hoc confectarum propterea presentibus inseri fecimus, quem vidimus et legimus in hec uerba: Theodoricus, dei gracia Olomucensis episcopus dilecto filio Vigando .... MCCLXXXXVIII. in festo Pasche. Vide in hoc tomo n. LXXXVI. Quocirca nos Archidiaconis, Diaconis, qui pro tempore fuerint, et quibus expedit, firmiter iniungimus, et mandamus, ut decetero dictam Ecclesiam Sancti Petri, que collegiata censeri, et Collegiatarum Ecclesiarum omnimodo debet numero computari, in iure et ordine simplicium Parochialium Ecclesiarum nullatenus computetis, et nullam taxationem ei penitus imponatis vel exigatis aliqualiter ab eadem, nisi quando ab aliis collegiatis Ecclesiis imposita taxatio aliqua exigatur. In cuius rei testimonium et robur firmiter ualiturum presentes litteras exinde fieri, et sigilli nostri

munimine fecimus communiri. Datum in Modrziz. Anno domini M. CCC. V. Tertio Calendas Decembris. Pontificatus nostri anno tertio.

E copia simplici in archivo ejusdem ecclesiae.

CLXXXIV.

Wenceslaus, rex Boëmiae, Adamo de Cholina pro bonis in Zabřeh commutatis superaddit villam Bilowice. Dto. Pragae XIII. Decembris 1305.

My Waczlaw z Božj milosti Czesky a Polsky Kral. Známo cžinime wssem, gak nyněgssjm tak y budauczym. Žie k statku Koniczskemu, ktery dobré paměti Pan Waczlaw Czesky a Polsky Kral otecz nass neymilegssj wěrnému nassemu Adamowi z Choliny za statek w Zabrzeze oddal, temuž Adamowi wes nassi Bielowicze w Margkrabstwj Morawskem ležjczý s lidmi, rolemi, laukami, pastwisscziemi, wodami, mlyny, ryb lowenjm, lesy, a wsseligakymi ginyma vžitky, prawy a przislussenstwjm k též wsy naležjczjmi naddawame, podawame, a dawame, tak aby dotčzieny Adam y s dědiczi swymi prawem dědičznym gi na wečznost měl a vžjwal. Pro lepssj této wěczy wyswědčzenj poručzili gsme list tento shotowiti a pečzetj welebnosti nassj stwrditi. Datum w Praze skrze rucze Kanczlirze nasseho, Mistra Petra probossta Prazskeho. Letha Páně Tisýczyho, Trzjsteho Pateho, dne trzinaczteho Miesycze Prosyncze Indictione IV, kralowstwj nassich, letha prwnjho.

E vidimus et translatione Card. de Dietrichstein dt. w Autery den Pamatky s. Petra a Pawla — 1610 — in arch. capituli Olomuc.

CLXXXV.

Sententia prolata in favorem monasterii Siloënsis, dum monasterium Cunicense in Moravia ab eodem se separare tentabat. Actum Iglaviae in ecclesia fratrum minorum anno 1306.

Orig. in arch. monasterii Siloënsis. Vide Arcana status Siloën. sub abbate Thilmanno.

CLXXXVI.

Thomas praepositus Cunicensis, testis in instrumento Thilemanni abbatis Siloënsis concernente villam Branic. Datum anno 1306.

Dlabač böhmiſche Abhandlungen. 1817. p. 12.

CLXXXVII.

Wenceslaus, rex Boëmiae, donat Uncae de Majetin silvam regiam Chlum: Datum Pragae, V. Idus Jannarii 1306.

Nos Wenczlaus dei gratia Boemie et Polonie rex, notum facimus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod nos Vnce de Mogetyn rubos nostros circa siluam nostram Chlum in districtu Olomucensi, damus, conferimus et donamus, per ipsum vncam et heredes suos hereditario iure possidendos perpetuo et habendos. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage per manus magistri Petri prothonotarii nostri, Pragensis prepositi. Anno domini Millesimo trecentesimo sexto V. Idus Januarii. Quarte indiccionis. Regnorum nostrorum anno primo.

Ex originali cum sigillo bilaterali laeso in archivo civitatis Olomucensis. K. I. 8.

CLXXXVIII.

Compositio litis inter monasteria Welehradense et Smilheimense, ratione bonorum in Plešowic. Dto. in Welehrad, sub die bb. Fabiani et Sebastiani 1306.

Nos frater Henricus dictus abbas et conuentus de Welegrad notum esse volumus vniuersis tam presentibus, quam futuris, qui legerint, audiuerint vel viderint presens scriptum, quod cum inter nos ex vna, et dominum *Waltherum* coabbatem nostrum venerabilem *de Smilenheim* et conuentum suum parte ex altera super quibusdam bonis et iuribus in *Plespicz*,

pratis videlicet, pascuis, piscacionibus, siluis et aliis ad dictam hereditatem pertinentibus per me fratrem H. abbatem de Welegrad ad informacionem dicti coabbatis mei de Smilheim ..... voluntate conuentus mei et consensu, modo non accedente debito, prout idem conuentus coram iudicibus subnotatis in iudicio publico est confessus contra formam iuris et ordinis alienatis et eorundem dicti coabbatis et conuentus in Smilheim vsibus applicatis, litis materia uerteretur, eo quod ampliori de rebus et iuribus meis informarer experiencia comperi dictum meum monasterium tali alienacione minus licite facta enormiter fore lesum; ob quod predictos coabbatem et conuentum de Smilheim nos prefati abbas et conuentus de Welegrad monicione ac humili precium instancia exoramus, vt a dictorum bonorum temeraria occupacione abstinerent, quod hii minime facere curantes. a generali capitulo super dicta causa patres Reuerendos in Christo dominos Johannem et Arnoldum, abbates ecclesiarum de plaz et de Sars iudices impetiuimus, quibus hec causa sub hac commissa fuit forma, vt eam pace vel iudicio sub vtriusque partis expensis finaliter terminarent; quod hii attemptantes fideliter subductam omni discordia ad vnitatem pacis inducendam partes in arbitros compromittere procurarunt. Igitur deputatis ab vtrisque partibus arbitris communi dictorum arbitrorum assensu pro euidenda materia cuiuslibet dissensionis supradictum patrem reuerendum dominum Johannem de Plaz abbatem, ad concordandum partes pro persona media elegerunt, qui matura deliberacione prehabita, vtriusque partis diligenter iuribus inspectis, arbitrati sententiam talem concorditer protulerunt: Quod ad predictum monasterium Welegrad supradicta bona omnia, in quorum possessione pacifica ante predictam alienacionem fuerat idem monasterium longo tempore, transire deberent perpetuo pleno iure; quam sententiam vtrimque partes concorditer acceptantes, predicti abbas et conuentus de Smilheim omni iuri, accioni, quocunque modo eis competentibus ac omni auxilio vtriusque iuris canonici seu ciuilis renunciarunt simpliciter et precise resignantes, scripta hinc inde confecta super dicta alienacione minus licite attemptata. Nos eciam ad dictorum iudicum grauem instanciam et dictorum coabbatis nostri et conuentus de Smilheim precibus inclinati, quos paterno affectu prosequi tenemur, dampna, licet multa, in supradictis bonis nobis per ipsos illata, nec non expensas per nos in hac lite factas, ad quo-

rum omnium restitucionem merito tenebantur, relaxamus misericorditer in hiis scriptis, nisi, quod absit, in posterum accione iniuriosa se nobis opponerent, tunc nobis supradicta et omnia alia petere licet iuris et equitatis ordine hoc dictante. Acta sunt hec in Welegrad, anno domini MCCC sexto, sub die beatorum Fabiani et Sebastiani martirum; presentibus predictis iudicibus et reuerendo in Christo patre domino Paulo abbate de Gredis et de domo nostra fratre Thoma priore, domino Conrado seniore. fratre Wilhelmo; fratre Johanne, et maiore parte conuentus; de parte uero alia presentibus subnotatis: domino Walthero coabbate nostro; Theodrico priore; Wilhelmo celario; Simundo. Fridrico custode. Nicolao de Crepnia, Ottone subpriore, Stephano, Johanne fratribus et monachis dicte domus. Vt autem hec accio rite et racionabiliter celebrata robur perpetue obtineat firmitatis presens scriptum sigillis venerabilium iudicum necnon nostris duximus roborandum, addito supradicti patris venerabilis abbatis sigillo de Gredis.

E confirm. litera Johannis episcopi Olomuc. ab 1364 desumta e codice Welehrad. f. 28. in archivo ejusdem monasterii.

CLXXXIX.

Joannes, episcopus Olomucensis, parrochiam in Slapanice adjungit scholasteriae Olomucensis ecclesiae. Dto. in Olomuz VII. Kalendas Martii 1306.

In nomine domini amen. Johannes, dei gracia Olomucensis Episcopus, vniuersis, quibus presentes exhibite fuerint, salutem in domino sinceram. Cum in officiis caritatis illis primo ex debito teneamus, a quibus nos cognoscimus beneficium recepisse, prout equitatis persuadet ratio, et sanctorum patrum edocent sanctiones, beneficiorum, quibus nos reuerenda mater nostra Olomucensis ecclesia suo fauore atque gracia honorare curauit, non immemores, ad illud precipue nostros dirigimus cogitatus, et conuertimus aciem mentis nostre, vt ipsi matri ecclesie ea, qua possumus, vicissitudine respondentes, eandem Pontificatus nostri tempore pro nostre possibilitatis modo congruis honorum apicibus attollamus, quod recte nos exequi credimus, si eidem ad diuini cultus augmentum suos duxerimus red-

ditus ampliandos. Ipsa enim nobis proximior est, que nos domino sociauit. Considerantes itaque, quod Scolastria ipsius Ecclesie Olomucensis existat tam tenuis in suis redditibus et exilis, quod Scolastico et suis sufficere non poterit quoquomodo, indecens fore censentes, vt tam honorabile officium tante ac uenerabilis Ecclesie rerum temporalium penuriam patiatur multa attentione redditi sumus solliciti, ut ipsa Scolastria et Scolastici, qui pro tempore fuerint, competentes redditus assequantur, ad defectus ipsius Scolastrie releuandos ecclesiam parochialem in Slapanicz, de consensu et uoluntate capituli nostri Olomucensis, deliberatione diligenti et tractatu sollempni prehabitis, ad honorem dei omnipotentis et beatissime matris eiusdem, uirginis Marie, et beati Wenceslai, ac ad honorem Ecclesie Olomucensis, et ad cultum diuinum in ipsa augmentandum, ipsi Scolastrie Olomucensis ecclesie cum eiusdem parochie iuribus et pertinentiis duximus vniendam, prout ad nostrum dinoscitur officium pertinere; censentes et volentes, vt deinceps tam Scolastria quam Parochia antedicte in naturam et legem vnius iuris transeant, et priuilegio solius gaudeant scolastrie; ac decernentes, quod Scolastici, qui pro tempore fuerint, non teneantur ipse ipsos, sed per vicarium perpetuum in predicta Ecclesia deseruire, sustentatione congrua ipsi uicario de prouentibus ecclesie reseruata, sacrosancte Romane Ecclesie Episcopalibus et Archidiaconalibus iuribus semper saluis. Et vt ipsa uenerabilis Ecclesia nostra Olomucensis se fore a nobis sentiat honoratam, in hoc ei ex officio nostro duximus prouidendum, quod Archidiaconatus, Scolastria et Custodia ibidem de cetero aliquibus personis extra capitulum eiusdem ecclesie Olomucensis non conferantur, collatione et prouisione ipsorum semper penes nos et successores nostros nichilominus remanente. Nos itaque miseratione diuina Budizlaus decanus, Cyrus prepositus, Rancyrus archidiaconus, et capitulum Olomucensis Ecclesie, ratam et gratam ex causis antedictis habentes vnionom supradictam, nostrum super ea consensum vnanimiter adhibemus, ac etiam consilium seu fauorem. Vt autem premissa robur obtineant perpetue firmitatis, ad rei memoriam sempiternam presens scriptum fieri iussimus, et sigillorum nostrorum munimine communiri. Actum et datum in Olomuz. Anno domini Millesimo Trecentesimo VI. Septimo Kalendas Martii.

E Cod. membr. I. f. 27. in archivo capituli Olomucensis.

CXC.

Joannes, episcopus Olomucensis, jus patronatus ecclesiae in Šlapanic confert scholastico Olomucensi, ejusque ecclesiae dotem et proventus in Šlapanic et adjacentibus villis determinat. Dto. Olomuc. VII. Kalendas Martii. 1306.

Nos Johannes dei gracia Olomucensis episcopus, Notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, Quod cum nos ad Olomucensis ecclesie regimen, diuina fuissemus disposicione vocati, et statum ipsius ac personarum in ea seruiencium prouide deliberacionis studio pensassemus, scolastriam ipsius ecclesie, sic pauperem et in redditibus exilem inuenimus, quod ille qui ad scolastrie ipsius assumebatur vel imposterum assumeretur officium, non honorem sed onus et laborem assumeret sine fructu, Vt ergo decetero ipsius ecclesie scolastico, ex incumbenti sibi officio, labor dampnum non pariat et honori onus et labori vtilitas adequetur, sic in hoc cum honorabilium virorum et fratrum nostrorum. Budislay decani, Cyri prepositi, Ranciry archidyaconi, et tocius Olomucensis ecclesie capituli, consilio et assensu, frequenti et diligenti super hoc deliberacione prehabita duximus prouidendum, vt ecclesia parochialis in Slapanicz, que sicut et ipsa scolastria ad nostram collacionem pertinet, et que multis habundans redditibus, paucioribus esse potest ad parrochialia iura, et ad alia que eidem incumbunt exsoluenda onera, iusta consideracione contenta, et plebanus eius prouentibus ipsius ecclesie, qui sibi pro sustentacione sua et seruitorum quibus ecclesia ipsa indiget et pro congrua hospitalitate tenenda, et pro iuribus episcopalibus et aliis quibus ecclesie parrochiales sunt obnoxie, exsoluendis sufficiant, sit contentus, Reliquos autem qui sunt eiusdem ecclesie predictis deductis prouentus scolastrie Olomucensis imperpetuum applicamus, et in ius et proprietatem scolastrie transferimus, ita quod decetero et imperpetuum, de scolastrie Olomucensis corpore censeantur, et honorabilis vir dominus Dluhomilus Olomucensis scolasticus, et omnes qui eius in scolastria ipsa fuerint successores, prouentus predictos, tamquam ad scolastriam pertinentes habeant et percipiant, cum eis ad ecclesiam in Slapanicz, et ad plebanum eius qui pro tempore fuerit, nullum habendo

respectum, Ius quoque presentandi ad ipsam ecclesiam in Slapanicz cum vacat, ipsi domino Dluhomilo et omnibus successoribus eius Olomucensis ecclesie scolasticis conferimus et donamus, taliter quod cum ecclesiam ipsam vacare contigerit, idem dominus Dluhomilus scolasticus uel successores eius, nobis vel successoribus nostris ad eam, personam presentent ydoneam que a nobis munus confirmacionis et curam animarum recipiens, iura parochie exsequatur, Vt autem Olomucensis scolasticus de suis, qui ad eum pertinere debent, et plebanus eiusdem ecclesie in Slapanicz de suis prouentibus certi sint, et inter eos, nullus pro eis questio uel dubium imperpetuum subsequátur, sic prouentus ipsos distinguimus et eciam limitamus, videlicet, quod plebanus ipse oblaciones cottidianas in ipsa ecclesia obuenientes funeralia, et decimas in villa Bedrichowicz, necnon filialem ecclesiam in Leschzen, duo molendina sita circa Slapanicz, et vineam sitam aput Modricz pro se habeat, et ex hijs in spiritualibus et temporalibus regat et amministret ecclesiam prout superius est premissum, Scolasticus autem pro se, agriculturas ibidem in Slapanicz, et omnes decimas villarum que sequuntur, videlicet in Slapanicz, Slatyna, Podole, Zelowicze, Wazany, welechycze, Jurzicouiczye, Poruethouicze, Cobolniczy. habeat, cum hijs ad plebanum, vel ad ipsam ecclesiam in Slapanicz, nullum penitus in spiritualibus aut temporalibus habendo respectum, Et ut ipsa nostra Olomucensis ecclesia se fore a nobis senciat honoratam, in hoc ei honorem deferimus, et deferri volumus in futurum, quod archidyaconatus, scolastria, et custodia eiusdem ecclesie, que omnia ad collacionem nostram pertinent, decetero nec per nos nec successores nostros conferantur alijs quam canonicis ipsius ecclesie, qui prehendarum ecclesie ipsius, possessionem habeant corporalem, In cuius rei testimonium presentes litteras fieri, et sigillo nostro fecimus communirj.

Nos quoque Budyslaus decanus, Cyrus prepositus, Rancirus archidyaconus dredicti, totumque Olomucensis ecclesie capitulum, quia predicta omnia de nostro consilio et asssensu sunt facta, presentibus in testimonium et robur capituli nostri fecimus apponi sigillum, Datum in Olomucz. Anno domini millesimo trecentesimo sexto, septimo Kalendas Marcij.

Ex orig. in archivo capituli Olomuc.

[illegible]

[illegible]

Remunius de [illegible]
silvas monasterii [illegible]
[illegible]

[illegible]
Leuchtenburg [illegible]
nie custos [illegible]
subditis in [illegible]
eorum [illegible]
connentus de [illegible]
cunque accepta [illegible]
et fratribus [illegible]
et gubernare. [illegible]
casu excepto [illegible]
bus dictis fratribus [illegible]
nium supradicta [illegible]
tum. quia [illegible]
efficacia priuilegiorum [illegible]
clarauit, dilectus [illegible]
in sepedicto *officio* [illegible]
nauit. In horum [illegible]
dicti patrui nostri [illegible]
Brunne proxima feria [illegible]

E codice [illegible]

[illegible]

Joannes. episcopus [illegible]
riorum decimorum ad coenobium [illegible]

Cod. chart. I. f. [illegible] [illegible]

CXCIII.

Wenceslaus, rex Boëmiae, fundat monasterium Throni regis juxta confluentiam aquarum Ratibor et Bečwa (juxta Wsetjn). Dto. Pragae, XIV. Kal. Junii. 1306.

Wencezlaus dei gratia Bohemie et Polonie Rex. Sedentibus nobis in regali diuina dispositione fastigio dum commisse nobis cure impendimus et incumbimus, dum regalis officii debitum exequimur, ut tenemur, tot mundialium rerum curis, tot subditorum occupamur negotiis, quod cum necessitati eorum exterioribus inherendo prospicimus, etiam cum interiora appetimus, ad hec procul dubio efficimur tamquam diuisi in plura minores. Ne tamen merite quod contemplationi debetur actiuorum reddamur turbinibus exagitati expertes, sic nos nostra decreuimus viris contemplatiuis liberalitate coniungere, ut ea, que nostris excluduntur meritis eorum precibus apud diuine maiestatis clementiam assequamur. Nouerint ergo uniuersi presentes litteras inspecturi, quod nos religiosorum virorum in Cisterciensis ordinis obseruatione degentium pie contemplationis studio orationumque couniri participio cupientes in bonis iuxta confluentiam aquarum Ratibor et Peczue dictarum sitis, monasterium fratrum ipsius ordinis Cisterciensis, cui nomen Thronus Regis imposuimus ad laudem dei et honorem beate virginis Marie nostre ac progenitorum memorie recolende animarum salutem pro congregatione fratrum dicti Cisterciensis ordinis ibidem mansura duximus construendum, quod profecto monasterium de consensu venerabilis patris domini Johannis Olomucensis episcopi, loci ipsius diocesani monasterio Plassensi eiusdem ordinis Pragensis diocesis esse voluimus immediate subiectum: ita quod monasterii Plassensis abbas, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, ad dictum locum abbatem et conuentum ordinabit et diriget iuxta Cisterciensis ordinis instituta. Vt autem et fratres ipsi in congregatione sua diuinis cultibus eo possint vacare liberius, quo liberalius monasterium ipsum regalis munificentia liberalitate dotatum; monasterio ipsi centum marcas annuatim in telonio loci qui vocatur Kuthelhof in Kuttna conferimus et donamus totaliter, quod monasterium ipsum ipsas centum marcas ibidem recipere et habere debeat tam diu, quam diu sibi in loco

alio centum marce per nos non fuerint assignate. Hanc quoque monasterio libertatem concedimus, ut iudices, qui in bonis ipsius monasterii, que nunc habet et habebit, in posterum positi fuerint et locati, iudicandi homines in bonis ipsius monasterii residentes in causa, qualibet plenam habeant potestatem. Volumus etiam monasterium nostrum hac nostre concessionis libertate gaudere, ut omnes homines in bonis ipsius monasterii residentes ab omnium officialium et beneficiariorum totius regni nostri iudicio et iurisdictione liberi esse debeant et exempti, ita quod abbas ipsius monasterii, qui nunc est, et qui pro tempore fuerit, super exhibenda de hominibus ipsis iustitia in causa qualibet requiratur, et in quacunque causa abbas ipse in exhibenda de hominibus ipsis iustitia iure terre negligens fuerit vel remissus, tunc in causa illa ad iudicium et beneficiarios Olomucenses per conquerentes pro exhibenda de hominibus predictis iustitia habeatur recursus et ipsi beneficiarii ex tunc de hominibus ipsis tenebuntur et poterunt in causa ipsa conquerentibus facere iura terre. Quod si tunc aliquem hominum ipsorum in ipso Olomucensi iudicio in alia pecunia vel re alia beneficiariis ipsis persoluenda contigerit condemnari, ipsa pecunia vel res ipsa non ipsis beneficiariis, sed predicto monasterio tota cedat. Quod si forsan aliquem vel aliquos de hominibus ad monasterium ipsum pertinentibus talem contigerit perpetrari excessum vel excessus, propter quem vel quos penam subire debeant capitalem, condempnatione super his habita bona ipsius condempnati non ad nos nec ad aliquem olficialem vel beneficiarium nostrum, sed ad monasterium ipsum totaliter volumus pertinere. Item si in bonis ad ipsum monasterium pertinentibus talem contigerit perpetrari excessum, propter quem bona ipsa per villicum nostrum debeant spoliari, nolumus, ut bona ipsa etiam in tali casu debeant spoliari per ipsum sine nostra speciali licentia et mandato. Premissis autem libertatibus per nos monasterio supradicto concessis, hanc etiam adiicimus libertatem, ut nulli teloniarii vel telonia possidentes per totum nostrum dominium ab hominibus et curribus ipsius monasterii vinum, bladum et alia pro eorum sustentatione victualia et res alias pro ipsorum fratrum conuentu, vel eorum edificiis deducentibus aliquid ratione telonii in perpetuum exigant vel requirant. Ceterum ut dictum monasterium a nobis ampliora liberalitatis nostre beneficia se gaudeat accepisse, ipsi monasterio ius patronatus ecclesie

in Menciis cum omnibus iuribus, redditibus et prouentibus ad eandem ecclesiam spectantibus ob remedium animarum patris nostri et aliorum predecessorum, ac nostram salutem conferimus liberaliter et donamus, volentes, ut dicta ecclesia ad collationem dictorum abbatis et conuentus prefati monasterii Throni Regis debeat perpetuo pertinere. In quorum omnium testimonium prefatas litteras fieri, et sigillis maiestatis nostre iussimus communiri. Datum Prage per manus honorabilis viri magistri Petri Wissegradensis prepositi, regni Boemie cancellarii et prepositi Pragensis, principis nostri dilecti. Anno Millesimo trecentesimo sexto. XIV. Kal. Junii quarte indictionis, regnorum nostrorum anno primo.

Originale in arch. c. r. aulico secreto Vindobonae. Copia in analectis Pelzelii.

CXCIV.

Yngrammus de Vngersberg protestatur, se Agnetem neptem Wenceslai I. regis in possessionem bonorum Cladrun circa Šebetin introduxisse. Dto. in vigilia b. Joannis Baptistae 1306.

Nos Yngramus de vngersperch, Camerarius Morauie, presentibus protestamur, quod nos Agnetem, neptem Primi Domini Wenceslai, quondam Regis Boemie, ex mandato domini Wenceslai Tercii, Boemie et Polonie Regis, in possessionem bonorum Cladrun circa Zebetyn, cum agris, siluis, pascuis, viis, inviis, pro commutatione bonorum, que eadem Agnes in Boemia racione dotalicii sui in villa vzehl possedit et habuit, introduximus, presente domino Heymmanno de Duba. Cui eciam Secundus Wenceslaus, Inclytus Boemie et Polonie Rex commiserat, vt in possessionem dictorum bonorum predictam Agnetem introducere deberet, quod facere neglexit propter legittima inpedimenta negociorum Regni, eo, quod cum ipso Rege in vngariam ad expedicionem tunc fuerat processurus. In cuius rei testimonium presentes nostro fecimus communiri. Datum anno Domini Millesimo CCC. Sexto. In vigilia Beati Johannis Baptiste.

Ex originali in archivo aulae reginae Brunae R. I.

tenore presentium notum facimus vniuersis Quod nobis in prefata ecclesia nostra in generali capitulo ad tractandum de commodis et statu pro ut moris est et prouidendum vtilitatibus eiusdem ecclesie nostre congregatis inter cetera que in ibi pertractata et terminata extiterunt de statu scolastici et ipsa scolastria taliter ad requisitionem venerabilis in Christo patris et domini nostri domini Johannis episcopi ecclesie nostre et nostri fuit et est inuentum ostensum et probatum et per seniores concanonicos nostros et confratres per iuramentum affirmatum quia scolastria ecclesie nostre antedicte non est personatus neque dignitas in eadem ecclesia sed simplex omnino officium, vnde ex eo certum statum non habet in choro nec locum in capitulo inter prelatos nec iuxta ipsos pro huiusmodi officio. nec vmquam aliquis scolasticus habuit racione scolastrie vllo tempore, a quo non extat memoria, et ita fuit et est ab eisdem retractis temporibus absque contradiccione qualibet et cuiuslibet in eadem ecclesia a canonicis et scolasticis qui pro tempore fuerint, ac a nobis tentum et seruatum, Ne autem successoribus nostris posset in dubium venire, vtrum scolastria antedictæ in ecclesia nostra personatus vel dignitas exsistat presenti scripto fatemur recognoscimus et testamur, quia simplex est officium in ecclesia nostra scolastria et sic deinceps volumus prout inuenimus obseruare, Actum (sic) sunt hec in nostra ecclesia Olomucensi vt predictum est in generali capitulo Anno domini millesimo trecentesimo sexto, ipso die kalendis Octobris In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et sigillo capituli nostri ad perpetue (sic) rei memoriam iussimus communiri. Datum in Olomucz loco anno et die predictis.

Ex originali in archivo capituli Olomuc. Cod. II. Fol. 28.

CXCVII.

Albertus, Romanorum rex, confirmat donationem comitiae et castri Rachs Heinrico de Rosenberg, factam a Rudolfo, duce Austriae, primogenito suo. Dt. in castris prope Lunam, VIII. idus Octobris, 1306.

Nos Albertus dei gracia Romanorum rex semper Augustus. ad vniuersorum sacri Romani imperii fidelium noticiam volumus peruenire, quod

nos donacionem comicie et castri in Rachs cum suis honoribus juribus et pertinenciis vniuersis, per illustrem Rudolfum ducem Austrie, principem et primogenitum nostrum karissimum, nobili viro Heinrico de Rosenberg factam, prout in eiusdem ducis literis super eo confectis et traditis contineri dinoscitur, ratam et gratam habentes, eam auctoritate presencium confirmamus, volentes, ut is qui Rudolfo duce (sic) predicto in ducatu Austrie successerit, donacionem eandem suis literis specialibus innouet et confirmet, In cuius rei testimonium presentes literas scribi et nostre maiestatis sigillo iussimus communiri. Datum in castris prope Lunam. VIII. idus Octobris. anno domini millesimo trecentesimo sexto. regni vero nostri anno nono.

(Sig. majest. app. optime conservatum.) Ex orig. archivi Třebonensis descr. F. Palacký.

CXCVIII.

Nicolaus, dux et heres terrae Opaviae, confirmat privilegia civium de Opavia, Hlubčic, Jaegerndorf et Freudenthal. Dto. Opaviae, XV. Kalend. Januarii 1306.

In nomine domini amen. Nouerint vniuersi presentes et posteri, quod nos Nycolaus, dei gracia dux, dominus et verus Heres Terre Opauie, dilectis fidelibus singulis et vniuersis quatuor ciuitatum nostrarum, Opauie, Lobsyzc, Jegerdorph et Vrowdintal ciuibus fauorem gracie nostre contulimus, et secundum beniuolencie nostre gremium voluntarie et liberaliter aperimus. In eo videlicet, quod vniuersa eorum priuilegia, gracias, donationes et iura, per eosdem ciues habitas vel habita ante tempus, quo se nostro dominio denuo conmiserunt, gratas et grata, inuiolabiles et inviolata conseruare fideliter, promittimus, et presentis scripti patrocinio communimus. Et vt predictorum ciuium nostrorum fidelis devocio, qua se nostro dominio conmiserunt, aliarum terrarum incolis ad nostram ditionem transeundi patulum sit exemplum, Nos de singulari gracia et benignitate eis eas gracias et prerogatiuas, per nos de nouo collatas, confirmantes, tenere cunctis temporibus promittimus illibatas, videlicet vt nulli ciuium predictorum quatuor ciuitatum quidpiam iniurie, opressionis, violencie aut captiui-

tatis sine iure et absque iudicio inferre aut infligere debeamus, nec inferre nostri heredes et successores debeant in futurum. Sed si quid querimonie, culpe vel cause inter prefatos quatuor Ciuitatum ciues emerserint, hec omnia mediante iure, iustitia et iudiciis equitate corrigere promittimus et sopire. In cuius rei testimonium presens priuilegium, ipsis et eorum posteris perpetuo profuturum, conscribi fecimus, et nostris sigillis perpetuo consigniri. Actum Opauie. XV. Kalendas Januarii ab anno domini M. CCC. VI. Datum ibidem per manus Pauli protonotharii Curie nostre.

Ex originali in archivo curiae Oppav.

CXCIX.

Nicolaus, dux Opaviae, confirmat omnia privilegia civitatis Jaegerndorf. Dto. Opaviae, XV. Kalend. Januarii 1306.

In nomine Domini Amen. Noverint universi presentes et posteri, quod nos Nicolaus, Dei gratia Dux oppavie, dilectis fidelibus, singulis, et universis civitatis nostre Jegerndorff civibus favorem gratie nostre contulimus, et secundum benevolentie nostre gremium, voluntarie et liberaliter aperuimus, in eo videlicet, quod vniuersa eorum privilegia, gratias, donationes, et jura per eosdem cives habitas, vel habita, ante tempus, quo se nostro dominio tenus commiserunt, gratas et grata, inviolabiles et inviolata conservare fideliter promittimus, et presentis scripti patrocinio communivimus, et ut predictorum civium nostrorum fidelis devotio, qua se nostro Dominio subjecerunt, aliarum terrarum incolis ad nostram ditionem transeundi patulum sit exemplum. Nos de singulari gratia et benignitate eis eas gratias, et prerogativas per nos denuo collatas confirmantes tenere cunctis temporibus promittimus illibatas, videlicet, ut nulli civium predicte civitatis quippiam injurie, oppressionis, violentie, aut captivitatis, sine jure et absque iudicio inferre, aut infligere debeamus, nec inferre nostri heredes debeant, in futurum, vel successores quicunque, sed si quid querimonie, culpe, vel cause inter prefate civitatis nostre cives emerserit, hec omnia mediante jure, justitia, et equitate judicij corrigere promittimus, et sopire. In cujus rei testimonium presens privilegium, ipsis, et eorum po-

steris perpetuo, per futurum conscribi fecimus, et nostris sigillis perenniter consignari. Actum oppavie XV. Calendis Januarij sub Anno Domini M. C. C. C. V. I. datum ibidem per manus Pauli, Prothonotarii curie nostre.

Ex originali in archivo ejusdem civitatis.

CC.

Reymundus de Leuhtenburch redimit medium oppidi Bielae a monasterio Sarensi. Dto. in Brod XII. Kalend. Januarii 1306.

Nos Reymundus dictus a Leuhtenburch in perpetuum fatemur et recognoscimus per presentes, quod vendito jam dudum per nos oppido nostro dicto Biela Honorabilibus et Religiosis viris domino Arnoldo Abbati et Conventui Monasterii in Sar cum omnibus Juribus utilitatibus et pertinentiis ipsius oppidi, et omnibus quae ex oppido ipso et pertinenciis ejus proueniebant tunc et prouenire potuissent quomodolibet infuturum, omnique Jure et dominio quod in ipso oppido nobis competebat vel competere potuisset in ipsum Monasterium hereditario jure translato, succedente postmodum tempore medietatem ipsius oppidi ab eodem Monasterio reemimus tali conditione et forma: Quod Nos et Successores nostri et omnes causam ex nobis habentes oppidi ipsius medietatem cum omni Jure, honore, Jurisdictione et utilitate qualibet, que ratam medietatis ipsius contingunt vel ea possunt aliqualiter prouenire, habere, et tenere liberaliter debeamus; Ipsi vero Abbas et Conventus reliquam medietatem oppidi ipsius contingunt vel ex ea possunt aliqualiter provenire, libere et absolute habere debeant, quia nos ut praemisimus medietatem tantum oppidi ipsius reemimus reliqua medietate ex venditione nostra predicta in eorum jure et dominio omnimodo remanente. In cujus rei evidenciam et certitudinem sempiternam, presentes eisdem fratribus scribi et dari jussimus Nostri sigilli appensione roboratas cum testibus qui huic emptioni perhibent, testimonioque veritatis anotatis. Hi vero sunt Testes. Dominus Zmilo de Obersez, Dominus Bouscho de Luson, dominus de Longavilla, Proschiko de Lipka, et quam

plures alii fide digni. actum et datum in Brod Anno domini millesimo CCC. sexto. XII. Kalendas Januarii.

Steinbach II. p. 49. Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCI.

Clemens V. papa concedit Petro, archiepiscopo Moguntino, quod praeposituram Wissehradensem adhuc in triennium licite retinere potest. Dto. apud Vignandraldum, VIII. Kalend. Januarii 1306.

Venerabili fratri Petro archiespiscopo Moguntino.

Grandis affectus quem ad personam tuam gerimus, devotionis integritas ac multiplicis tuae probitatis merita, per qua nostram et apostolicae Sedis gratiam promereris, digne nos excitant et inducunt, ut te favore benivolo prosequentes, tibi votivae promissionis gratiam ampliemus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod olim fc. re. Bonifacius papa VIII. praedecessor noster personam tuam gratiosis favoribus prosequens tibi per suas sub certa forma duxit literas indulgendum, ut praepositurum ecclesiae Wissegradensis Pragensis diocesis, quam tempore tuae promotionis ad episcopatum Basiliensem, de quo nuper te ad archiepiscopatum Moguntinum auctoritate apostolica duximus transferendum, praeficientes te ipsi archiepiscopatui in archiepiscopum et pastorem, canonice obtinebas, posses usque ad certos annos in literis ipsis expressos licite retinere, quam quidem praeposituram una cum eodem episcopatu retinuisti et tunc etiam retinebas juxta indulti continentiam supradicti. Verum cum hujusmodi concessionis terminus esset prope sui finis excursum, idem praedecessor volens tibi gratiam facere specialem, tibi per suas indulsit literas, ut finito termino supradicto praepositurum praefatam una cum episcopatu praedicto posses usque ad quinquennium licite retinere, qualibet constitutione contraria non obstante. Cum autem sicut asseris praefatus archiepiscopatus adeo multorum debitorum onere praegravetur, quod nondum aliquid sive parum pro sustentatione tua et familiae tuae de ipsius archiepiscopatus redditibus percepisti, nec est spes quod huic ad multos

SUPPLEMENTA

AD

QUATUOR PRIORES TOMOS

HUJUS

CODICIS DIPLOMATICI.

I.

Heinricus, episcopus Olomucensis, testes ad terminos emti allodii in Witonice perambulandos nominat. cc. 1127.

Ista sunt nomina testium, quos dominus. H. holomucensis episcopus. misit ad perambulandum et determinandum allodium inuitonice quod a bogumilo emit. Rengotus olomucensis magister. Renoltus brerouensis archipresbiter. Daren. Spitata. Besperem iudex. Hualata. Cicero (sic). Waceclas. Paulus. Olen. Bedis. Bogus. Begau. Ostrolia. Radouan. Crot. Grubec. Zlusata.

E codice Ms. coaevo Homiliarum sine signo — in bibliotheca capituli Olomucensis.

II.

Suda, primas et civis Olomucensis vendit episcopo Heinrico praedium in villa boemiensi Hlawno. c. 1130.

Suda quidam primas et ciuis Olomucensis ciuitatis uendidit predium suum domino Henrico eiusdem ciuitatis episcopo in quadam boemiensi uilla nomine Glaune. Cuius rei idoneos testes subternotare curauimus. qui huic uenditioni interfuerunt. Reingotus olomucensis ecclesie decanus. Letona eiusdem ecclesie archipresbiter. Radouan prerouensis archipresbiter. Thomas bracizlauensis archidiaconus. fratres (sic) Milgost. Jacobus. Pancratius. Ztrez, Lach. Martinus. Boz. Jacobus. Golisca. Krisan. Laici Hren Olomucensis prefectus. Hlapaca iudex. Domauis. Dobrouest. Modliboch. Cakan uillicus. Zemisl. Suoiata. Ysaac. Vac. Uacemil. Smil. Nesata. Wlicek. Blata. Jurata. Vnolt. Piuona Hruna. Techoc. Vbicek. Hual. Beneda, Mansa. Sdata Bin. Oztoy. Negan. Kueton. Quazen.

E codice Ms. coaevo Homiliarum sine signo — in bibliotheca capituli Olomucensis.

III.

Henricus, dux Bavariae et marchio Austriae, litem inter Chadoldum de Harroz et fratres hospitalis S. Joannis Hierosolymitani super possessione in Mauerberg (Meilberg) componit. Dto. Neuburg XVIII. Kalend. Septembris 1156.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, Heinricus dei gracia dux Bauuarie et marchio austrie salutem omnibus Cristi fidelibus.

Quoniam quidem dei fauente clemencia. prospera succedunt nobis tempora. decet ut sibi famulantes diligamus et foueamus. ac paci et quieti eorum prouideamus. quatenus et ipsius hic mereamur dona ampliora. nec bonis priuemur que beatis in futuro in celis sunt reposita. Diuine igitur respectu gracie operam dedimus litem finire. que fuit inter chadoldum de harroz. et fratres sancti iohannis baptiste hospitalis hierosolime. super possessione patrui sui Chadoldi senioris. uidelicet Mourberc cum omnibus pertinenciis suis. quam pro remedio anime sue suorumque ad altare beati baptiste iohannis in hierosolima. propria manu et potestatiua manu libere delegauit. Sciant ergo tam presentes quam futuri quod idem iunior chadoldus coram fidelibus nostris in manus nostras ius beneficiale prorsus refutauit. quod prefate possessioni intendebat. indeque predictos fratres frequenter fatigabat. Uerum fratres pro succidenda lite et adipiscenda perpetuali pace. duas ei tradiderunt uineas Grinzingen sitas. de familia uero a prefato seniore chadoldo sibi tradita. dimiserunt ei Ottonem et Vdalricum Gerlohum et Woluoldum. et duas sorores Regenwardi. Ipse uero iunior chadoldus. in nostra nostrorumque fidelium presencia. spopondit se nunquam amplius sepe dictos fratres aliquo modo infestaturum. nec in familia. nec in possessione. nec in alia quacumque re. neque per se. neque per aliquos suorum. neque per submissas. aut per summittendas personas. scilicet ex parte sua omniumque suorum. pacem eis perpetualiter se conseruaturum. Ut autem ea que gesta sunt. auctoritate nostra. debita sint firmitate subnixa. et ut eadem que hactenus in terra nostra possidebant amodo sine contradictione habeant. et possideant. litteris notari et sigilli nostri impressione precepimus insigniri. Testes qui presentes ade-

rant subter notari fecimus. Quorum nomina sunt hec. Marquardus niwenburgensis prepositus. *Ernesto filius chunradi comitis morauiensis.* Otto de lengenbach. Ipse Chadoldus de harroz. Adalbero de chunringen. et frater ejus hainricus de cebingen. Hainricus canis de mistelbach. Wernhardus de lancendorf. Herebort de gorse. Data (sic) Anno ab incarnatione domini M. C. L. VI. indictione III. XVIII. Kalendas Septembris. Hec in Cristo fideliter acta sunt nivwenburc.

Originale in archivo Magni Prioratus Melitensium Pragae.

IV.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Henrici, ducis Austriae, patrui sui, hospitali S. Joannis Hierosolymitani omnes posessiones et nominatim in Zokelestorp, Mauerberg confirmat. Dto. Ratisbonae XV. Kalend. Octobris 1156.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus diuina fauente clemencia Romanus Imperator Augustus. Desiderium quod ad salutem animarum et ad propositum religionis spectare cognoscitur Effectu debet pro sequente compleri Et si in his exposcentur que perpetuo durare videntur. litteris est etiam annotandum, ne prolixitas temporibus posteris hoc dubium reddat aut incertum. Nouerit igitur omnium tam futurorum quam presentium industria. qualiter nos peticiones dilectissimi patrui nostri Henrici ducis Austrie clementer admisimus et possessiones quasdam in ducatu Austrie sitas, villam videlicet Zokelestorp, et siluam de mourberg. sacro. hospitali Jherusalem, vbi vere misericordie opera Christi pauperibus exhiberi, oculis nostris conspeximus, omni corroborationis munimine confirmauimus, ratum, inconuulsum omni euo statuentes, quod quidam vir nobilis ac deo deuotus nomine Katholdus Jherosolimam adiens, ac de fonte misericordie, qui de hospitali emanare cernitur, ardenter bibens, easdem iam dictas possessiones a Lothario imperatore cum omni iure proprietatis quondam acceptas, sicut in eiusdem iam dicti Katholdi priuilegio apercius demonstratur, prefato hospitali pro remedio anime sue perpetuali iure. nec non omnem familiam vtriusque sexus, quam tunc habere uisus est donauit

et contradidit. Quia uero iunior Katholdus nepos prefati Katholdi aliquando easdem possessiones quasi hereditario iure impetebat, fratres hospitalis quamuis iniurias eius de iure declinare potuissent, pro succidenda tam eius quam omnium hominum infestatione vel lite et adipiscenda perpetuali pace tradiderunt ei duas vineas. in grincengen sitas. de familia vero a prefato Katholdo hospitali tradita. dimiserunt ei Ottonem. Ferloum? Vluoldum. duas sorores Rigemmardi et Vdalricum sine terra quam in Zokelestorp possidebat, que hospitali iure remanere debet, quam ipse Katholdus de bonis suis ei restituere debet, Ad supradictas confirmaciones, quum dilectissimus patruus noster diue memorie Conradus rex ab omni hominum infestatione easdem possessiones hospitalis omni tempore liberas esse decreuit, nos pietatis eius sacra uestigia imitantes, sepe dictas possessiones hospitalis et quecunque in Austria vel in toto imperio nostro domus illa hospitalis modo possidet vel imposterum iuste adipisci poterit, imperiali auctoritate et presentis pagine confirmatione corroboramus et in tuicionem nostram suscipimus. statuentes et sub obtentu gracie nostre precipientes, ne quis contra huius nostre confirmationts auctoritatem temere uenire vel possessiones supra nominatas inquietare vel ab hospitali alienare presumat. Si quis autem huius priuilegii nostri violator extiterit. Banno nostro imperiali subiaceat et centum libras auri purissimi componat. medietatem camere nostre et medietatem predicto hospitali. Vt autem vniuersa supradicta uerius credantur, et ab omnibus illibata diligentius obseruentur. presentem inde paginam. conscribi et sigilli nostri impressione insigniri iussimus. Adhibitis testibus quorum nomina hec sunt: Pilgerinus aquilensis patriarcha. Eberhardus archiepiscopus Salzburgensis. Covnrad patauiensis episcopus. Otto Frisingensis episcopus. Eberhardus episcopus Bambergensis. Harthuicus ratisbonensis episcopus. Harthimanus Brixiensis episcopus. Tridestinus episcopus. Henricus dux Austrie. Henricus dux Saxonie. dominus Vuelfo. Conradus frater imperatoris. Fridericus filius regis Conradi. Henricus dux Carinthie. Engelbertus marchio Hystrie, Marchio Thibaldus de Cambe. Marchio Adalbertus de Staden. Otto palatinus et frater eius. Hermannus Palatinus de Reno. Comes Gebehard de Sulzbach. Comes Gerardus de wegelingen. Comes Rodolphus de Suinesford, Comes Hallensis et filius eius. Comes Litholdus et filius eius. Comes Gebehardus

de Burhusen. Comes de Scala. Comes de Puten. Comes Ratisbonensis. Frater et filius eius, Comes Conradus de Pilistein et filius eius. *Kvnrat filius Conradi Moraviensis* .... Volricus de Horneg. Alramus de Cambe. Albertus de berge. Vualconus de Machlandt, Vuerardus de Videlbach et filii eius. Cheone de megelinge. Conradus de rax. Pilgerinus de nunetel (Sunetel?) et Albero frater eius. Albero de Cvnring et fratres eius. Henricus de Mistelbach. Henricus de Ramfelsbach et alii quam plures — Ego Rainaldus cancellarius vice Arnoldi Maguntini Archiepiscopi et archicancellarius recognoui. Signum domini Friderici Romani Imperatoris inuictissimi. Datum Ratisbone in generali curia XV. Kalendas Octobris indictione IIII. Anno dominice incarnationis MCLVI. Regnante domino Friderico Romano Imperatore Augusto feliciter amen. Anno Regni eius V. et Imperii II.

E copia vidimata seculi XV. exeuntis commendae Meilberg in archivo Magni Prioratus Melitensium Pragae.

V.

Wladislaus, rex Boëmiae, ad augmentum praebendarum canonicorum ecclesiae Olomucensis quatuor villas ab ipsis pro libitu eligendas donat.

c. 116..

Vniuersaliter singulis et singulariter vniuersis Canonicis Olomucensis Ecclesie Rex Bohemie gratiam suam et omne bonum. Quum spiritualibus rebus multiplicandis cordis nostri archanum sepius sese ad meditandum et in ipso tranquillo meditationis examine inter cetera sibi tucius ..... apud mortales presentes et eorum posteros memoriam compararet, hoc elegit, videlicet quod IIII. villas adeo optimas que nostro Culmini Regio seruiebant de nostra bona voluntate per Petrum procuratorem nostrum in nostrum subsidium et in nostrarum augmentum prebendarum proximo die forensi uel faciatis proclamari perpetuo seruiendas. Cum igitur hoc ad eorum quibus beneficia prestantur specialius earum pertinent vt salutem operentur animarum, vt secundum apostolum non nobis semini spiritualia nos uero uobis carnalia seminemus. Vniuersitatem vestram rogamus quo-

tinus in capitulo vestro conuenientes inter nomina fidelium et nomen nostrum conscribi faciatis salutem corporis in presenti et eterni premii in futuro a domino nostro iesu qui bonorum omnium est largitor salubriter impetretis. Et dicte donaciones willarum firmius uobis inhereant in vestri subsidii solamen opportunum litteras nostras sub nostro Sigillo annotari sub testimonio proborum virorum baronum nostrorum quorum nomina sunt J. et N.

E formula in folio ultimo cod. Ms. saec. XII. (sign. I. III. 31.) c. r. bibliothecae Olomucensis.

VI.

Philippus, notarius apostolicus, Innocentio papae nuntiat, Otakarum, regem Bohemiae, et Wladislaum, marchionem Moraviae, ad partes Ottonis accessisse. Datum anno 1202.

Raynald ad annum.

VII.

Otto, rex Romanorum, Innocentio III. papae gratias agit, quod ejus sollicitudine Boëmorum rex et Marchio Moraviae ad suam partem accessere. Datum anno 1202.

Baluz. I. 735.

VIII.

Anno domini M. CC. II. Premizl Rex Bohemorum contulit totam siluam Strelnam ab origine prime (sic) riui Stelne usque ad flumen quod morauice nuncupatur. Ecclesie Olomucensi propter combustionem ipsius ecclesie que facta est ex negligencia Regis eiusdem.

In codice Ms. coaevo Homiliarum sine signo — in bibliotheca capituli Olomucensi.

IX.

Richca, nobilis conjux Leonis de Klobuk, donat monasterio Zabrdowicensi, quod cum marito suo fundaverat, villam Bisow cum armento

XXV. caballarum XL vaccis et ovium numero CC. et XL. Datum anno 1205.

Wekebrod, Denkmale der Stadt Brünn Ms. in der Olmützer Bibl. — cfr. literas Otakari de anno 1211.

X.

Wladislaus, marchio Moraviae, confert monasterio Welehradensi praedium in Nalusche cum horto et vineis. Datum in Welehrad in die consecrationis ecclesiae. 1220.

Wekebrod, Denkmale der Stadt Brünn Ms. in der Olmützer Biblioth. cfr. dipl. de anno 1228.

XI.

Fridericus II. rex Romanorum ... passagium sive theloneum in ponte civitatis suae Werda pro libertate omnium inde transeuntium abrogat. Huius rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus. Eggibertus Babinbergensis episcopus. Otto herbipolensis episcopus. Sifridus Augustensis episcopus. Cono Fuldensis et Elwacensis abbas. *Odacrius Boemorum Rex.* Loduuicus dux Bauariae Comes palatinus Reni. *Henricus Marchio Morauiae.* Conradus Burgrauius de Nurnberg. Comes Artmannus de Wirtenberg. Heinricus de Niffen. Euirhardus dapifer de Walpurg. Conradus Camerarius de Werda. Vlricus frater eius et alii quam plures ... Conradus Metensis et Spirensis episcopus Cancellarius vice maguntini Archiepiscopi recognouit. Acta sunt hec anno ... millesimo ducentesimo vicesimo. Mense Julii. Datum apud Augustam. anno et mense prescriptis.

Monum. Boica Vol. XXXI. p. 498.

XII.

Otakarus I., rex Boëmiae, jura županorum provinciae Znoymensis et Bitoviensis a duce Conrado a. 1084. et aliis nec non a se ipso statuta publicat. Datum Znoymae 1222.

C †. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otacarus. qui et Premisl dei gracia Boemorum Rex, omnibus generaliter Znoymensis prouincie militibus imperpetuum: Equitati est consentaneum et regie conueniens excellentie pariter et honori. modis omnibus ad hoc intendere atque niti. ut nemo contra iuris ordinem aggrauetur. sed iura omnia conseruentur unicuique penitus inconuulsa. Juris enim obseruantia. et temporalis honoris gloria conseruatur. et anime a deo in celesti patria premium tribuetur. Ne autem ea iura que prius a nostris predecessoribus ut a bone memorie duce Conrado. et ab aliis postmodum autem a nobis in tota Znoymensi prouincia sunt statuta. processu temporis per quemquam possint hominum inmutari. sed perpetuo stabilia permaneant atque firma. Nouerit tam presens etas quam eius sequens posteritas. quod nos habito diligenti tractatu cum fidelibus nostris suppanis Boemis pariter et Morauis uolentes ab omnibus perpetuo inuiolabiliter obseruari. Jura statuimus in hunc modum. Omnes hereditates quas uiri nobiles tam minores quam maiores tempore ducis Conradi sine querela iuste et pacifice hucusque possederunt. in bona tranquillitate pacis ammodo possideant. Item nullus camerariorum citet aliquem nisi certo cum testimonio eorum quorum interest et nominatim quilibet eorum debet ducere Castellani nunccium. et alium iudicis. et insuper duos Kmetones de circumsedentibus uillis. et si camerarius uadit ipse secundus aut tercius sine nuncciis beneficiatorum. si interficitur nichil de eo respondeatur. Si fuerit fur aput aliquem nobilem uel aput aliquem cuius est uilla et dederit eum curie. omnia bona sua sint. et collum eius in postetatem principis detur: Insuper si fur capitur in aliquo loco et suspenditur. omnia sua sunt principis preter fruges que adhuc remanserunt in terra. Item quod dicitur narok hoc non debet esse nisi ubi constet sub certo testimonio sua bona amisisse. nisi acciderit in uia, in silua uel in aliquo secreto loco uel alicui hospiti et antequam admittatur debet

notificari curie. quorum interest scilicet iudici. castellano et ceteris. Quando aliquis pauper uenit de propria re conquerendo pallium sibi nullatenus deponatur. Nullus zoch aliquem accuset nisi sub certo testimonio uicinorum constet de dampno eius. et si fuerit zoch conuictus testimonio fori communis lapidetur. Quando aliquis subit iudicium aque nullus demittat eum in aquam nisi sacerdos cum suo cooperatore. si deus iuuerit eum iudici det duos denarios et sacerdoti XIII. si nudauerit se et iudicium uoluerit subire. soluat capellano. VII. denarios et uetule duos. Si aliquis nobilis uir et non derho habuerit super se narok. puer pro ipso subeat iudicium. et si non fuerit adiutus soluat pro eo CLXXX denarios. Quando ducitur quod dicitur Zuode debet adesse nunccius Castellani. iudicis. et uillici. et camerarii. et unus uel duo de uicinatu illo et ultra tres non ducatur sed in tercio remaneat. et si conuictus fuerit. CLXXX denarios in cameram regis reddat denarios. et illi qui dicitur pouod satisfaciat. Siquis equum uel equos. boues uel uaccas. uel aliqua maiora subtraxerit. quantitas dampni estimetur sub certa fide et sacramento eorum quibus iurisdiccio est commissa. et secundum hoc accusatores admittantur. Item fures cum sociis et fautoribus suis pari pena puniantur. Si substrahuntur alique res pallium aut aliquid tale hoc curie non notificetur. sed si bos uel iumentum substrahitur curie notificetur. Et si quando aliquis uulneratur in uia ueniendo de foro uel alibi notificetur curie. Item quando aliquis nobilis capitur in furto et suspenditur et non habet prolem hereditas ipsius regi cedat. et si aliquis capitur in manifesto furto uxor eius terciam partem habeat. Quicumque nobilis. uel rusticus occiderit aliquem. CLXXX denarios curie soluat. et alias recedat et querat graciam et uxor sua domi in pace et indempnis sedeat. Si quis autem non habuerit filium et habuerit filias ad illas deueniat hereditas equaliter. et si non sint. hereditas deueniat ad proximos heredes. Si alicui subtrahuntur iumenta aut famuli apes furantur. debent subire iudicium ferri scilicet uomeres. Insuper si quis spoliatus per wybog incuset, quos vult. et de herdost nominet quos uoluerit et antique consuetudines seruentur. Preterea nullus de illis qui custodiunt siluam debet spoliare aliquem in uia uel in foro nisi illum spoliet, quem inuenerit arborem secantem. Ad hoc numquam iudex numquam iudicet in

CCC denariis. nisi in LX. Insuper iudex numquam debet judicare solus nisi presente castellano uel aliquibus Nobilibus. et quando villicus iudicat non debet ire ad capiendum consilium de iudicio sed iudicet sedens cum militibus. Item quando tempus est ire ad iudicium et sunt omnes. et villicus non vult venire. iudex iudicet cum militibus. Preterea semper de mane et nunquam hora serotina a iudice et a villico iudicium habeatur. Quando aliquis interficitur in via siue militis siue iudicis seu villici. inde fit magna confusio. solent apponi denarii aurum argentum. ille quis accusat non dominus habet iurare super sancta sanctorum. De debito non debet aliquis vendi nisi in tercio termino. Insuper nullus de hominibus nobilium qui vadunt in propria vel in aliqua legacione siue ad forum. numquam in nouo nisi in antiquo thelonio soluat. Item nullus ad iudicium accedat nisi de domo secundum ius prius citetur. Insuper si villicus regis sine iudicio impignorauerit aliquem. rex iure suo corrigat. si est villicus camerarii. marcam auri soluat. si dominus beneficio careat. Ad hec omnes communiter tabernas habeant. Preterea campiones non habeant nisi contra extraneos. Interea Prouincia Betouiensis in eodem statu permaneat in quo Znoymensis. In hijs omnibus excipimus priuilegia virorum religiosorum a principibus eis concessa, et iura clericorum cum dotibus ecclesiarum qui reguntur secundum ius canonicum. Vt autem hec omnia rata et inconuulsa permaneant. et maiori nitantur robore ac euidenciori in posterum pateant ueritate presentem paginam eis fecimus conscribi. et sigilli nostri impressione roborari. testibus subnotatis quorum nomina sunt hec. Filii regis Wenceslaus et Wladislaus. Robertus Olomucensis episcopus. Eppo prepositus Pragensis. Bohuta prepositus Boleslauiensis. Engessalcus regis prothonotarius. Beness castellanus de Budissin. Jaros. Budiwoi castellanus de Cladsco. Diwis castellanus de Prachen. Bohussius castellanus de netolich. Coiata subdapifer. Holach subpincerna. Prossimir de Prawlen. Ingrammus. Depolt. Pomnenus. Howoriz. Welen. Cothardus. et Hartlebus fratres. Henricus. Lupus. Rugerus. Vlricus. Branizlaus. Bohdanez. Wilhelmus. Lupolt. castellani Znoymenses. Lewa camerarius. Theodricus de Chnesiz. Stephanus castellanus de Jewiczki. Ratibor iudex. Wolframus et filii sui de Branissowicz. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis. M. CC. XXII. in Znoym. rege et regina cum prenominatis

testibus ibidem feliciter existentibus. Datum per manum Hermanni regis Boemie notarii.

Ex apographo in bibliotheca parochialis ecclesiae ad s. Nicolaum Znoymae. Conferr. hujus codicis tom. II. n. CXXXVIII. et CXCIV.

XIII.

Přemysl, marchio Moraviae, dotalitium et libertates ecclesiae in Pohořelice stabilit. Actum in Brunna anno 1231.

In archivo capit. Brunn. fragm.

XIV.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Daubrawnicensi donat villam Sess, et omnes ejusdem possessiones confirmat novasque immunitates concedit. Dat. Brunae IV. Kalend. Augusti. 1235.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis amen. Ego Premisl dei Gratia Marchio Morauie. Abbatisse et toti sacro conuentui in Dvbraunik inperpetuum collocando. Consueuit antiquorum ueneranda et approbanda prudencia ea litterarum mandare monimentis que statuit habere robur et firmitatem. ne modernorum astuta ingenia que semper gaudent nouitate, inueniant occasiones rite et mature gesta negocia dolosis peruertere argumentis et fraudulentis racionibus infirmare. Memoria quidem humana non est diuturna, et si esset eterna esset diuina. ideoque necesse est ut scriptis in quibus res geste continentur adiuuetur, et sic quodam perpetuitas robore tenax maneat et inconcussa. Nouerint itaque tam presentes quam futuri, quod nos considerantes tam nostras noxas quam gloriose memorie patris nostri nomine Premisl a quo sortiti sumus originem et nomen. qui multis interfuit negociis imperii et eciam propriis in quibus multa gessit que sine peccato non poterant terminari. visum fuit nobis easdem aput clementissimum iudicem in conspectu cuius nullum bonum irremuneratum. nostris elemosinis releuare. vnde ad pias peticiones fidelis nostri Woyteh nomine. et abbatisse tociusque conuentus dominarum in

Dubraunik contulimus monasterio earundem dominarum iam nominato pro remedio anime felicis memorie patris nostri et pro nostra salute, quandam villam nomine Sess. cum suis appendiciis jure hereditario inperpetuum possidendam. quam eciam fecimus certis limitibus tam a nostris quam ab aliorum possessionibus distinqui. ne inposterum aliqua inde superueniat dubitacio; unde prefatum monasterium posset grauari et inquietari. Confirmamus eciam nostra potestate omnes possessiones cum suis appendiciis eidem monasterio collatas, tam per fundatorem ipsius pie memorie Stephanum, quam per alios quicumque sint uel quibuslibet nominibus censeantur. Nomina autem possessionum sunt hec. *Manov. Clococh. Racov. Borihaer.* et omnia noualia que sunt illa parte aque usque ad terminos Thassonis. *Pornich* quam Semislaus comes pro remedio anime filie sue contulit. In *hudcich* ad unum aratrum de terra. In brunna domum et tres uineas et unum agrum. Jus patronatus ecclesie de *medlov* cum suis appendiciis. Jus ecclesie de *Cadov.* ecclesie de *velessouich.* ecclesie de *Neteludich.* ecclesie de *Cocherov.* ecclesie de *Dubraunik* et omnium ecclesiarum, que in eodem circuitu sunt locande. Appendicia autem uocamus quicquid in siluis in pratis in pascuis. in piscaturis. et aliis que utilitati claustri conueniunt. condecebat enim ut domine que seruiunt domino in sepe nominato monasterio eo quod sibi non possint ob sexus fragilitatem bene prouidere amplioribus beneficiis sustententur. ut conditori suo possint liberius deseruire. Decreuimus etiam prefati monasterii omnes possessiones iam habitas et habendas in Morauia constitutas ab omni genere tributorum. uectigalium. Collectarum, aliarumque omnium exactionum esse absolutas adicientes ut nullus pro castrorum edificacione. siue pro aliqua ingruenti expedicione homines monasterii audeat inquietare. Jus quod datur pro capite siue pro fure uel swod principi siue eius inbeneficiatis. monasterio sepe dicto concessimus perpetuo obtinendum. hoc statuentes de fure si in maleficio fuerit deprehensus manens in prediis monasterii. siue capiatur et coram iudice conuincatur, quatenus eius bona monasterio remaneant. ipse vero secundum quod placuerit principi puniatur. Si uero homines monasterii in aliquo coram iudicio culpabiles inueniantur. nec nobis nec iudicibus uel curialibus. seu inbeneficiatis aliquid inde proueniat utilitatis. sed aput monasterium nisi in quo tenetur aduersario satisfacere. culpe satisfactio perseueret. Cete-

rum autem ut omnia breuiter comprehendamus omne ius quod spectat ad usus principum eidem monasterio remittimus. ut plena et perfecta gaudeat libertate. nec ullus ei nouas condiciones inponere uel eius iura audeat permutare. vt autem hec omnia robur habeant perpetue firmitatis. hanc paginam nostro sigillo fecimus insigniri. et rogauimus illustrem Regem Boemie fratrem nostrum Wencezlaum nomine. quatenus possessiones et omnia jura. ea que nostra mera uoluntate concessimus monasterio predicto. sua regia potestate dignaretur confirmare. quod et ipse ad honorem dei et beate Marie sigillo suo muniens. solempniter confirmauit. hec autem sunt uerba regis. Ego Wencezlaus quartus Rex Boemorum ad Karissimi fratris nostri peticionem ingenui Marchionis Morauie Premisl nomine. in rerum prescriptarum testimonium nostri sigilli Karacterem apposuimus. tale bannum statuentes, ut quicumque septa monasterii uiolenter intrauerit, uel iura predicta potenter uel fraudulenter eneruare uisus fuerit. componat in cameram fratris nostri marchionis Morauie et successorum eius X. marcas auri. Insuper rogauimus uenerabilem patrem dominum Rubertum Episcopum Olomucensem, quod in huius rei testimonium sigillum suum apponeret. quod et fecit. hoc etiam petiuimus quod si barones nostri uel milites. uel populares nostra priuilegia uellent aliquando insolenter et indebite uiolare. ipse sentencia ecclesiastici juris eosdem percellere festinaret. eandemque auctoritatem suis successoribus relinqueret. Quia quicquid unquam stabilitatis potest illud monasterium adipisci. ad sue tranquillitatis firmamentum. hoc est nostre uoluntatis. et in ea in perpetuum permanebit. Totum autem hoc factum est de uoluntate fratris nostri Wencezlai illustris Regis Boemie. Nomina testium sunt hec. Comes Arnoldus de Hugensvald. Ratiborius de deblin. Wocco magnus. Milich. Pribislaus Jarossii. Lupoldus filius Wolframmi pincerne. Archlews filius Ratiborii. Bochko. Marquardus de conrach. Data in brunna per manus magistri hylarij notarij Marchionis. Anno dominice incarnacionis. Millesimo. CC. XXXV. Indictione VIII. quarto Kalendas Augusti.

Ex originali in archivo curiae Brunensis f. O. II. n. 4.

XV.

Wenceslaus rex IV. restituit baroni Wratizlao ea, quae pater ejus Wilhelmus possederat, confirmatque, quae idem Wilhelmus ecclesiae Cunicensi contulerat. Datum Brunnae 1237.

Cod. régiomontanus MS. n. 140. transumt. in Boh. Museo.

XVI.

Gregorius papa IX. hospitale s. Francisci Pragae in suam specialem protectionem suscipit illudque libertatibus ecclesiasticis donat. Datum Viterbii XVIII. Kalendas Maji. 1238.

Gregorius Seruus Seruorum Dei. Dilectis Filiis Magistro Hospitalis Santi Francisci Pragensis, Eiusque Fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuam memoriam. Omnipotens Deus qui alto prouidentiae suae consilio cuncta disponit, Cor et animum Dilectae in Christo Filiae Agnetis sororis charissimi in Christo Filii Illustris Regis Boemiae, tanto charitatis igne succendit, ut in monasterio Sancti Francisci, pauperarum Monialium inclusarum Pragensium, Christo se ipsam in odorem suauitatis offerret, ac pietatis et compassionis intuitu ad opus Infirmorum et pauperum Hospitale, in quo diuino estis obsequio mancipati, fecerit et dotarit. Nos igitur prosequentes sanctum eius propositum et Apostolico patrocinio confouentes ad preces ipsius Hospitale praedictum situm in fundo, quem prefatus Rex, Ecclesiae Romanae concessit, et tam idem, quam Venerabilis Frater noster Pragensis Episcopus plenariae libertati donauit, sicut in eorum literis, ad nos transmissis perspeximus contineri, in Jus et proprietatem Beati Petri ac sub nostra et Apostolicae Sedis protectione suscipimus, et praesentis scripti priuilegio communimus.

Inprimis quidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundum Deum et B. Augustini Regulam in eodem Hospitali, de mandato nostro institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Praeterea quasqumque possessiones, quaecumque Bona idem Hospitale in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum,

largitione Regum ac Principum, oblatione Fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma Vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant: de quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo praefatum Hospitale situm est, cum omnibus pertinenciis suis. Villam Hlupetin cum omnibus Villis ad ipsam pertinentibus videlicet Humenecz ac Nydossicze. Villam Boroticz cum omnibus villis ad ipsam pertinentibus videlicet Ssupanowize et Drahotussicze, Villam Ribnik cum suis pertinenciis, Villam Rakssicze cum omnibus pertinentiis suis. Et alias possessiones vestras, cum pratis, Vineis, terris, Nemoribus, Vsagiis, Pascuis in Bossko et plano, in aquis et molendinis, in Viis et semitis, et omnibus libertatibus et imunitatibus suis. Sane Noualium uestrorum, quae propriis manibus ac sumptibus colitis, de quibus hactenus aliquis non percepit siue de hortis, Virgultis, et piscationibus vestris, seu de uestrorum animalium nutrimentis nullus a uobis decimas exigere uel extorquere praesumat. Liceat quóque uobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conuersionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum uestrorum post factam in eodem loco professionem, fas sit de loco ipso, nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentem uero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale Interdictum terrae fuerit, liceat vobis clausis Januis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa Voce diuina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Pro consecratione uero Altarium, siue pro Oleo sancto, uel alio Ecclesiastico sacramento, nullus a uobis, sub obtentu consuetudinis, uel alio modo quidquam audeat extorquere, sed haec omnia gratis uobis authoritate nostra Episcopus Dioecesanus impendat: alioquin liceat uobis haec, eadem authoritate recipere a quocumque malueritis Catholico Antistite gratiam et Communionem sedis Apostolice obtinente. Quia uero interdum Dioecesani Episcopi copiam non habetis, si quem Episcopum Romanae sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis per uos transire contingerit ab eo Benedictiones Vasorum et Vestium, Consecrationes Altarium seu Basilicarum; Ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promouendi, recipere ualeatis. Obeunte uero te, nunc eiusdem Hospitalis Magistro, nullus

ibi qualibet subreptionis astutia seu uiolentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu uel Fratrum maior pars Consilij sanioris secundum Deum, et beati Aupustini regulam prouiderint eligendum. Libertates praeterea et imunitates concessas uobis a Rege, Episcopo, et Capitulo supradictis Authoritate Apostolica confirmantes, nihilominus inhibemus ne quis Archiepiscopus Eptscopus uel praelatus alius, in Hospitale praedictum, uel regulares personas inibi Deo famulantes, Excommunicationis suspensionis uel interdicti sententiam audeat promulgare, quam, contra prohibitionem huiusmodi prolatam decerni non tenere. Paci quoque et Tranquillitati vestrae paterna imposterum sollicitudine prouidere uolentes, authoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum uestrorum nullus rapinam seu furtum facere; ignem apponere sanquinem fundere, hominem temere capere uel interficere seu uiolentiam audeat exercere: Decernimus ergo ut nulli omnino Hominum liceat praefatum Hospitale temere perturbare, aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur horum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura salua sedis Apostolicae authoritate. Ad indicium autem huius perceptae a sede Apostolica libertatis, unum Bizantium nobis nostrisque successoribus annis singulis persoluetis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica saecularisue persona, hanc nostrae constitutionis paginam, sciens contra eam temere uenire temptauerit, primo, secundo, tertioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se diuino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et sanctissimo Corpore et sanquine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districta subiaceat Vltioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inueniant. Amen. Amen. Ego Gregorius Catholicae Ecclesiae Episcopus. Ego Thomas a Sanctae Sabinae presbyter Cardinalis Ego Joannes etc. Sanctae Praxidis presbyter Cardinalis Ego Guilfredus a Sancti Marci presbyter Cardinalis Ego Symbaldus a Sancti Laurentij in Lucina presbyter Cardinalis Ego Stephanus Sanctae Mariae trans Tyberim Sancti Calixti presbyter Cardinalis Ego Jo....

Sabiniensis Episcopus Ego Jacobus Tusculani Episcopus Ego Rainaldus Ostiensis et Vellescensis Episcopus Ego Rainerus Sanctae Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis Ego Otto Sancti Nicolai in Carcere Tulliani Diaconus Cardinalis. Datum Viterbij per manum Magistri Gulielmi Sanctae Romanae Ecclesiae Vice Cancellarij XVIII Kalendis Maii Indictione octaua. Incarnationis Dominicae MCCXXXVIII. Pontificatus Sanctissimi Domini Gregorii papae Noni Anno Vndecimo.

E copia vidimata in archivo praepositurae s. Hippolyti ordinis Cruciferorum cum rubea stella.

XVII.

Přemysl, marchio Moraviae, donat ecclesiae S. Petri tres laneeos et molendinum juxta Brunam sitos in compensationem ecclesiae S. Michaëlis. Dto. Brunae anno 1241.

In Nomine Domini Amen. Vt nostris temporibus gesta immota permaneant, et ne de rebus decisis arbitrio vel aliqua sententia judiciali determinatis iterum calumpnia possit oriri solent literarum custodia mancipari. Notum igitur facimus Vniuersis tam presentibus quam futuris: Quod nos Przemisl dei gracia Marchio Moravie, Wenceslai incliti regis quarti Bohemie filius ad petitionem dilecti capellani nostri Alberti de Monte sancti Petri in Bruna tres laneos cum molendino et quosdam piscatores cum ipsorum attinenciis in Zwittavia iuxta Brunam sita, qui ad beneficium dapiferi pertinebant, quos eciam inclitus Marchio felicis memorie patruus noster Przemisl in recompensacionem ecclesie sancti Michaelis filie ecclesie sancti Petri de monte dicte, et beate memorie dominus Robertus Olomucensis episcopus suo priuilegio per sentenciam excommunicacionis roborauit, in qua nunc dilecti fratres ordinis predicatorum oratorium construxerunt. Damus eidem ecclesie et concedimus predicta bona confirmantes libere possidenda. Ne quis autem successorum nostrorum hanc commutationem valeat infringere presentem paginam conscribi et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Hujus autem rei testes sunt: Vitko de Noua domo. Milik et Zdik frater eius. Parduz camerarius. Czerch castellanus de Meydlwerk.

Archleb et Jan frater eius. Wilhelmus. Andreas camerarius, et Aruus frater eius. Marquardus de Cinnenwerg. Ulricus ciuis Brunensis. Arlamus eiusdem ciuitatis ciuis, et Cruciburgensis monete magister. Acta sunt hec anno incarnationis dominicae MCCXLI. Datum in Bruna per manus Przisnaborii, curie nostre notarii.

E monastico MS. archivi Rayhradensis in tomo cum inscriptione „Dominikani“ pag. 6.

XVIII.

Innocentius papa IV. monet uniuersos fideles, ut elemosinis promoveant structuram ecclesiae et monasterii fratrum ordinis Praedicatorum Olomucii, promittitque indulgentias quadraginta dierum iis, qui pias elemosynas et grata charitatis subsidia praenominatis fratribus erogarint. Dto. mense Augusto, pontificatus anno IV. (1246)

Originale in archivo ejusdem monasterii. F. I. P. g.

XIX.

Wenceslaus, rex Boëmiae, monasterio Gradicensi omnia privilegia a praedecessoribus concessa confirmat, novasque libertates et exemtiones latissime descriptas concedit. Actum et datum Pragae, Kalendis Septembris, 1250.

Literae hae in confirmatione Otakari, regis Boëmiae et marchionis Moraviae de dato Pragae, XII. Kal. Septembris, 1270. (Tom. IV. n. XL) sub numero 3. citatae, sunt eaedem, quae in tomo II. hujus codicis sub numero CCCXXVII. ex Annalibus Gradicensibus Mss. ad annum 1240. excudebantur. Hac de causa notantur hic solummodo variantes lectiones, quae sunt sequentes: dei gracia *quartus* rex *Boemie;* illibata *conseruare;* in ea deo *altissimo* famulantes; qui *prouise* pacis; libertate jocundius *gloriantur,* hanc; gaudet ecclesia Olomucensis; que in *subsequentibus* continentur; coaccione compellere *violenta;* cum aggrauaminibus huiusmodi; quod debet *et poterit;* satisfaccio culpe dicte remaneat ecclesie, et *emenda similiter cum eo quod vulgo dicitur Meznivol, et* conquerenti; culparum ad usus *Regum;* ab hominibus *sepedicte* abbacie cedere *deberent;* quod nullus camerariorum — *audeat* ciuitates *et* villas ipsorum; domus hominum eorum *prouideantur;* ad

dominum abbatem uel prepositum *vel ad* iudicem; qui uulgariter *louchi vel haini* dicuntur; nihil nobis ex *hiis* importetur *commoditatis;* ius suum *indemne semper* debeat optinere; iura plene haberi, que; quocumque iniuriam vel aliquam diminucionem; sed dominus abbas et conuentus; optinuit publice testimonio fide digno; et hospes telonea predicta transiens; de curru humuli, *institor,* de curru husonis; de equo, *de* boue; *et* de lukno; *de* ferente in humeris; et *quilibet* messor denarium; defendent *autem predicti* thelonearii; *Gewichco, Unichow, Oppauie;* Cietkouici, Nakel *Lubos, Bunouici, Laschaz, Rohchin, Zlobici Wrezouici, Bedrihoschi;* quod *aliis nostris* terrigenis; maleficum huiusmodi tamdiu conseruent, donec ipsum; e curia vel *de* claustro; in bonis *ecclesie prefate* a quolibet fieri; — pro aliqua re *in Ciuitatibus nostris* detineant, vel impignorent vel *incippent;* ex euentu hoc *contigit;* — sed abbati et conuentui *et Ecclesie* cedet totaliter *memorate;* — per quam eis *inferri* possit; — violare *presumpserit,* et Ecclesie prefate statim non *satisfecerit;* — redimentes colla *prout* possunt; Testes autem huius rei sunt, dominus Nicholaus, Episcopus Pragensis; — Mscidruh Castellanus; — Boruta de Redhosch; — Drsizlaus de Benesow. Vitko Castellanus. Milich Camerarius. Nicholaus iudex; — Bochko Castellanus Znoymensis, *Cyrho castellanus de Dreuichek, Chaztolow frater eius,* et alii quam plures; — anno domini M. CC. L. kalendis Septembris per manus magistri Wilhelmi canonici Pragensis, aule nostre prothonotarii.

Originale in archivo ejusdem monasterii.

XX.

Innocentius IV. papa, abbates de Welegrad et Luca praepositumque de Rayhrad constituit arbitros in causa inter Vlricum Nigrum et cives quosdam Olomucenses et Strigonienses vertente. Dto. Lugduni II. Nonas Augusti 1251.

Innocentius episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis filiis .. de Welgerad, et .. de Luca Abbatibus, et .. Preposito ecclesie de Raigrad Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Vlricus, dictus niger de Bruna, laicus crucesignatus, nobis conquerendo monstrauit, quod Conradus, dictus Stercer, et quidam alii laici Olomucensis et Strigoniensis ciuitatum et diocesis super terris, debitis, possessionibus et rebus aliis iniuriantur eidem, propter quod uoti sui executio impeditur. Ideoque discretioni uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus conuocatis audiatis causam et appellacione remota usuris cessantibus debito fine decidatis, facientes, quod decreueritis per censuram ecclesiasticam firmiter

obseruari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio uel timore subtraxerint, censura simili appellacione cessante compellatis, ueritati testimonium perhibere. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, duo uestrum ea nichilominus exequantur. Datum Lugduni II. Nonas Augusti. Pontificatus nostri anno nono.

Ex orig. in archivo Soc. Jesu Brunae.

XXI.

Přemysl Otakarus, marchio Moraviae, officialibus Znoymensibus mandat, ne ecclesiam et monasterium Lucense in libertatibus ipsis concessis molestent. Dto. apud Saczca VII. Kalend. Septembris 1251.

P. dei gracia marchio Morauie viris nobilibus H. camerario et vniuersis beneficiariis et villico Znoymensi graciam suam et omne bonum. Cum ecclesia Lucensis super libertate a nostris predecessoribus priuilegiorum receperit instrumenta et de gracie nostre plenitudine horum omnium habeat confirmacionem et mera gaudeat libertate. Volumus et mandantes vobis precipimus nostre gracie sub obtentu. quatenus donum quod super confirmacione libertatis tali ecclesie duximus conferendum pro parentum nostrorum animarum remedio et salute infringere sicut nostram diligitis graciam nullomodo presumatis, sed sic dominum abbatem et fratres ecclesie memorate promouere cum omnibus studeatis, ut de vobis coram nobis vlterius non habeant materiam conquerendi; in eorum siquidem promocione et offensa nos promotos reputabimus (et) offensos. Datum aput Zaczca. anno gracie M. CC. L. I. VII. Kalendas Septembris.

E matrica privilegiorum monasterii Lucensis — Ms. a. 1663. in bibliotheca ecclesiae S. Nicolai Znoymae.

XXII.

Otakarus, dux Austriae et Styriae, marchio Moraviae, confirmat monasterio Zwetlensi omne jus ipsi in villam Zwetelern dictam ab Vlrico de

Chungespronne collatum, coram testibus Albero de Chunringe et Henrico fratre ejus, Ottone de Arnstein, Stephano Stuhso et aliis. Datum anno 1252.

Originale in archivo ejusdem monasterii.

XXIII.

Otakarus, dux Austriae et Styriae et marchio Moraviae, indulget monasterio Zwetlensi libertatem, duo talenta salis majoris ligaminis in Danubio sine muta traducendi, coram testibus Albero de Chunringe et fratre ejus Heinrico, Ottone de Arnstein, Chalocho de Tulbinge, Chunrado de Zekinge, Ottone de Rastenbach, Hadmaro Asino et aliis pluribus. Datum anno 1252.

Orig. in archivo ejusdem monasterii.

XXIV.

Přemysl, junior rex Boëmorum et gubernator marchionatus Moraviae forum regium Prowodow transfert in Polic. Dto. Pragae, VIII. Idus Septembris 1253.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Amen. Premyzl dei gratia rex iuuenis Boemorum et dux Austrie ac Styrie, *marchionatusque Morauie gubernator* uniuersis, ad quos presentia peruenerint, salutem in vero Salutari. Cum temporis nobilitas omnia secum temporalia precipitet, a memoria labuntur humana facta, nisi literali testimonio perhennentur: Notum igitur sit uniuersitati vestre, quod nos domini Martini venerabilis abbatis omniumque fratrum suorum in Breunow deo militantium precibus inclinati' quoddam forum regium in prouincia Gradicensi constitutum, Provodov vulgariter nuncupatum, ad Breunouense monasterium ex donatione legitima nostri aui Premizl quondam regis illustris Boemorum, patrisque nostri serenissimi Wenceslai similiter regis Boemorum, pleno iure pertinens, in alium locum Policz nomine propter maius commodum et utilitates uberiores

monasterio Breunouensi licentiam dedimus transferendi, et ut in loco prenominato in omni quarta feria forum ab omnibus illuc peruenientibus libere celebretur, ob remedium anime nostre, in remissionem quoque omnium peccaminum nostrorum, viuorum ac mortuorum motu proprio statuere decreuimus. Preterea donationem de ipso Policz per prenominatos illustres reges Breunouensi monasterio laudabiliter factam cum omnibus suis attinentiis infra siluam Hemi et extra constitutis, metas etiam ipsius donationis et confirmationis cum omnimoda libertate, sicut in priuilegiis dictorum regum plenius continetur, confirmamus. Vt autem acta nostra robur obtineant perpetue firmitatis, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Acta sunt hec anno gratie MCCLIII. Datum Prage VIII. Idus Septembris per manum domini Wilhelmi summi notarii curie regis in presentia horum testium, quorum nomina sunt hec: Bochek castellanus Znoymensis. Jaros castellanus de Lochet. Sdislaus marsalcus. Sdeslaus dapifer. Gallus de Cladzco. Jenek de Belin. Johannes frater Rynardi. Herbordus notarius *regis senioris* et canonicus Pragensis. Jacobus filius Pause canonicus Pragensis.

Copia sat vetusta in analectis Ant. Bočzek. — Exc. in Ziegelbaueri hist. Brewnow. f. 283.

XXV.

Ottacarus, dux Austriae et marchio Moraviae, monasterio Zwetlensi remittit mutam in Horen civitate in dictrictu Peuchreich ... Datum in castris ante Weikendorf XII. Kalendas Octobris anno domini MCCLIII.

Linck Annal. Clarovall. I. 344.

XXVI.

Otakarus rex renovat monasterio Břewnowensi privilegia Boleslai ducis, item Otakari et Wenceslai sub testimonio Brunonis, episcopi Olomucensis. Datum in colloquio in Strahow VI. Idus Maji. 1255.

Ex autogr. Břewnov. Dobn. Mon. VI. 24.

XXVII.

Stephanus, abbas Lucensis, decidit litem inter monasterium Brewnowense et fratres hospitalis Pragae prope pontem. Dto. Znoymae feria VI. ante diem Luciae. 1255.

In nomine domini Amen. Nobis Stephano Abbate de Luca presidente judicio in claustro *Trebez* in causa que uertitur inter dominum Abbatem de Brevnovv, ex parte una et magistrum domus hospitalis in Praga prope pontem ex altera, frater H. domus eiusdem procuratorium exhibuit in hec uerba. Frater H. licet indignus magister domus hospitalis Sancte Marie in praga iuxta pontem. Vniuersis presentes litteras inspecturis. salutem in eo qui est salus fidelium uera. Noueritis quod cum ego sim grauibus negociis prepeditus. fratrem H. sacerdotem confratrem meum latorem presencium. in causis quas ad presens habeo contra quoscumque habiturus sum, procuratorem meum et fratrum meorum constituo, dans sibi liberam potestatem ad agendum. et respondendum, litem contestandam, et ad omnia alia facienda, quod mihi et fratribus meis nouerit expedire. Exhibito procuratorio idem procurator petiuit humiliter et supplicauit instanter, ut propter defectum aduocati ac consilii. dignaremur negocium ad alium terminum prorogare, quod et fecimus, partibus VI. feriam ante Lucie proximam. terminum peremptorium in Znom assignando, saluo iure parcium quantum ad iam proposita hinc et inde. Acta sunt hec secunda feria post festum Martini episcopi proxima. Item existentibus nobis Znom. VI. feria ante diem Lucie proxima, in ecclesia beati Nicolai, comparuit coram nobis Boreas monachus procurator Abbatis. et Monasterii de brevnovv, ex parte vna, et frater heinricus ex parte magistri hospitalis et fratrum in Praga prope pontem ex altera. petiuit procurator de brevnov, decimas trium uillarum in Luthomericensi prouincia sitarum, scilicet. Plozcouici. Stanchouici, et Mihce, quarum uillarum nomine magister hospitalis, qui pro tempore fuit et fratres prefato monasterio singulis annis soluebant tres fertones argenti. sed nunc solucioni quatuor annis et amplius supersederunt. Procurator uero magistri et fratrum uolens declinare iudicium, dicens se minus instructum, terminum sibi supplicauit alium asignari. Et quia in eo non fuit exauditus, parte

altera renitente talem nobis in scripto presentauit appellacionem, cuius tenor talis est. A uobis domine Stephane appello sicut prius appellaui. uice magistri fratrum hospitalis iherosolimitani per regnum Boemie. cause autem appellacionis sunt iste, quia licet ante annum simus citati a uobis, semel tantum et non magis tamen argumentum consequebatur euidens, quod a causa quieuissetis. Tandem post unum annum subito et ex inprouiso citastis nos peremptorie, extra dyocesim pragensem ad terminum satis breuem. Vbi confisi de iure nostro cum comparuissemus, licet multis negociis prepediti et ideo inparati ad respondendum petiuimus inducias. Vobis uero nolentibus eas concedere appellauimus. deinde habito consilio uisum fuit uobis ut exhiberetis nobis inducias trium septimanarum, et nulla racione longiores. Nos autem non renunciantes appellationi expresse remeauimus ad terram nostram. querentes celeriter magistrum nostrum, in longinquis partibus constitutum. Deinde temptauimus propter bonum iusticie parati cum aduocatis reuerti et uestro iudicio comparere, et tunc fonsitan appellacioni renunciare. Sed quia tempus induciarum nostrarum in tantum nos artauerat et artat, quod parum uel nichil deliberare uel inuestigare ualuimus de ueritate cause, in quam trahimur, nec de aduocatis prouidere in tam breui spacio temporis, propter multa negocia, quibus inplicamur ex officio, iterum et iterum sppellamus a grauamine uestro domine abba de Luca et submittimus nos et nostra subprotectione domini pape. Appellacione quali recitata procurator Abbatis et monasterii persuadebat appellacioni minime deferendum, quia nec appellatum fuit agrauamine nec agrauamine comminato, maxime cum hodie nequeat quis appellare absque racionabili et manifesta causa, tali uidelicet, que coram iudice appellacionis debeat legitima reputari super eo interlocutoriam postulauit humiliter et instanter. Nos uero habito prudentum consilio interlocuti fuimus appellacioni minime deferendum, ex causis in litteris appellacionis comprehensis, et libenter apostolos dedissemus procuratori magistri et fratrum si uoluisset exspectasse, et non contumaciter recessit. Deinde procurator Abbatis et monasterii petiuit partem aduersam iudicari contumacem, et penam infligi a canonibus constitutam. Nos uero habito consilio magistrum hospitalis et fratres ipsius iudicauimus contumaces, et nichilominus eosdem, quantum ad duos dies in Trebez, et Znoym ipsos condempnauimus in expensis. Post-

modum uero procurator Abbatis et Monasterii conabatur multipliciter per iura ostendere, quod essent impossessionem mittendi decimarum, ante petitarum, uel saltem partem aduersam excommunicaremus, quia contumaciter iudicio stare rennuit, ut debebat, super eo alternatiue inter locutoriam instantissime postulando. Nos uero habito consilio et tractu super hiis, Abbatem et monachos de brevnovv, iusticia exigente, misimus inpossessionem decimarum, trium uillarum superius prefatarum. Et quia frustra, iudex mittit inpossessionem, nisi in missum tueatur, Auctoritate domini pape, qua fungimur in hac parte, mandamus honorabili Viro Priznoborio canonico Wissegradensi, ut sepe fatos Abbatem et monachos mittat impossessionem corporalem predictarum decimarum contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo. Acta sunt hec in Znoym Anno ab incarnacione domini Millesimo CC. L. V. VI. faria ante diem Lucie Virginis, et hoc testantur, quorum nomina subscribuntur. Dominus Conradus, canonicus Pragensis de Waldenberch et Magister suus Theodoricus; fratres minores, frater Radich, et frater Johannes, Fridericus uicarius sancti Nicolai, et socius suus Petrus. Cvnradus capellanus Abbatis de Luca, et ceteri.

Ex orig. in arch. archiep. Olomuc.

XXVIII.

Nicolaus, episcopus Pragensis, confirmat fratribus hospitalis sancti Francisci Pragae jus patronatus ecclesiarum ipsis a rege Wenceslao donatarum. Datum Pragae Idibus Februarii 1257.

Nicolaus Dei Gratia Pragensis Episcopus Magistro et Fratribus Hospitalis Sancti Francisci Pragensis salutem in perpetuum. Dignum et Congruum existimauimus, aequitas quoque communis exposcit, quod piis Votis, et honestis petentium desiderijs, fauore beneuolo concurrentes, praebeamus etiam nostrae liberalitatis assensum. Hinc est quod Jura Patronatus et ipsas Ecclesias, quas clarae memoriae Wenceslaus Rex Boemorum alijque Nobiles, seu fideles, Pragensis Diocesis Vobis et Vestro Hospitali ad Vsum ac sustentationem infirmorum eiusdem Hospitalis, cum omnibus redditibus et aliis pertinentiis contulerunt: Vobis tenore praesen-

tium saluo Jure obedientiae, quam tenentur rectores Ecclesiarum ipsarum parochialium. Nobis nostrisque Archidiaconis exhibere in spiritualibus nec non eciam in temporalibus, in perpetuum confirmamus. Ecclesiae autem istae sunt, sancti Francisci ad pedem pontis in Ciuitate Pragensis Ecclesia sancti Valentini intra muros. Ecclesia sancti Petri in vico Teutonicorum extra muros, Ecclesia sancti Stephani in Ribniczka Ecclesia in Cubito cum suis filialibus et alii pertinentijs, Ecclesia in Wrbno cum Decimis et pertinentijs suis. Ecclesia in Hrzewnitz cum filiali et Villis et Decimis et aliis pertinentiis post mortem Cunradi plebani, qui nunc est. Ecclesia in Hlupetin, Ecclesia in Minocz, Ecclesia in Boroticz, Ecclesia in Slywena et Ecclesia in Tois. Ecclesia in Mysa cum filialibus suis. Ecclesia in ponte sancti Wenceslai extra muros. Ecclesia in Leutmeritz Sanctae Mariae extra muros. Ecclesia in Duba cum aliis pertinentiis suis. Hanc igitur donationem quam praedictus Rex aliique Nobiles et Fideles ad vsum infirmorum vestri Hospitalis ac fratrum inibi Deo seruientium pia deuotione donauerunt, ratam habentes et firmam, praedictas Ecclesias et Capellas cum suis redditibus libera voluntate, diuinae retributionis intuitu saluis decretis Episcopalibus Videlicet sex denariorum, qui de quotlibet manso tam vestrorum quam aliorum hominum, qui ad easdem parochias pertinere noscuntur et per totum regnum Boemiae penduntur, ac obedientia tam in spiritualibus quam in temporalibus, perpetuis temporibus Vobis, vestrisque Fratribus confirmamus, in cuius rei Augmentum praesentem paginam conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborauimus. Huius autem confirmationis testes sunt. Tobias praepositus, Vitus Decanus, Radislaus Archidiaconus Fr. Thomas Prior, Fr. Mercoto Vice Magister, Fr. Fridericus Fr. Jaromirus, Fr. Simon Fr. Cunradus de Worowa Fr. Theodoricus; Fr. Fridericus Fr. Wolffamus de ordine fratrum Minorum, et alii quam plures. Acta sunt haec Pragae Anno Incarnationis Dominicae MCCLVII. Idibus Februarii XV. Indictione.

E copia simplici in archivo praepositurae s. Hippolyti ordinis Cruciferorum cum rubea stella. Bienenbergs Analekten dieses Ordens p. 33.

XXIX.

Přemysl Otakarus, rex Boëmiae et marchio Moraviae, civitati Gewičko usum jurium Magdeburgensium ad modum civitatis Uničow una cum jurisdictione tredecim villarum adjacentium, et cum jure milliari concedit. Datum Bürglitz, VIII. Idus Augusti 1258.

Nos Prziemisl qui et Othakarus dei gracia dominus Regni Boemie, Dux Austrie et Marchio Morauie Vniuersis hanc literam inspecturis innotescimus testimonio huius scripti quod Nos oculis misericordie inspectis afflicciouibus et pressuris dilectorum ciuium nostrorum de Gewiczka, qui ex donacione eiusdem ciuitatis per nostros predecessores et nos nostris nobilibus nimis indebitis exaccionibus per eosdem preter iusticiam sint afflicti, Nos eandem ciuitatem tenendam amodo pro reparacione boni status et comodo eiusdem nostre attraximus potestati defendendos vniuersos eiusdem ciuitatis incolas vt post multa pressurarum grauamina nostris temporibus habundancius consolentur, Promittimus tamen vt si dictam ciuitatem ex casu nos alicui Nobili nostro tenendam conferre contingeret quod idem nobilis non nisi certo et debito censu contentus esse debeat, quem hucusque ex antiquo ciuitas soluere usitauit Volentes simpliciter vt omnibus iuribus, censualibus et alijs iuribus quibus Nouaciuitas Vniczow alio nomine nuncupata et Judicium eiusdem ciuitatis gaudet et fruitur temporibus ex antiquo, damus, concedimus attribuimus liberaliter et benigne ad vtifruendum eisdem perpetuis temporibus per eos et eorum quoslibet successores Et nominatim cum tredecim uillis circum ciuitatem Gewiczka adiacentibus uidelicet Kornicz. Albendorf Arnolczdorf Dorflins Ernestendorf Brasen Hartungsdorf Mertinczdorf Vnracz Niderunracz Mitterdorf Vrsedel et Neubranow et silua dicta Branerualde. Inclusis specialiter causis majoribus siue criminalibus in Judicijs dictarum uillarum occurentibus quas in ipsa ciuitate Gewiczka et non aliunde volumus judicari et quibuslibet alijs juribus cum quibus ciuitas Gewiczka una cum iudicio fuit primitus elocata et ipsi ciues cum iudice gaudere debent per omnia de plenitudine nostre gracie et fauoris Que jura nec per nos nec per nostros aliquatenus infringemus Hoc adiecto quod in loco eodem iuxta diuturnam consuetudinem sit

vie transitus publicus et communis ex omni parte ipsius ciuitatis ad spacium trium milliarium singulis et vniuersis uiarum transitus racione ipsius Thelonei occupetur Volentes ut ab ipso loco Gewiczka ad unius spacium milliaris ad omne latus et in loco quolibet nullatenus aliquis thabernam habere braxare cereuisiam uel habere venalem uel aliquod opus mechanicum exercere audeat uel presumat. Albero uero et suis heredibus legitimis et quicumque alij judices ibidem erunt Judicia ipsius ciuitatis damus concedimus attribuimus liberaliter et benigne tenenda et temporibus perpetuis possidenda, vendenda obliganda et ad suos usus tamquam rem propriam comitenda et nominatim cum Judicijs tredecim villarum prius dictarum, quarum villarum videlicet Kornicz Dorfleins, Brasen judicia ad judicium ipsius ciuitatis hereditarie spectabunt. Judicia vero aliarum villarum non inclusis specialiter causis majoribus siue criminalibus omnium istarum uillarum occurrentibus homicidia et culpe maiores, que tangunt sentenciam sanguinis et interitum personarum, quas in ipsa ciuitate Gewiczka et non aliunde uolumus judicari, ex quibus due partes ad nos pertinebunt, et tercia pars ad Alberum et suos heredes et suos quoslibet successores spectabit. Et de hac tercia parte iudex ville recipiet terciam partem et hac erit contentus. Si uero fuerit pecuniaria culpa octo solidorum paruulorum denariorum non transcendens due partes ad nos et tercia pars ad ipsius ville Judicem in qua talis excessus fuerit perpetratus et ad nullum alium pertinebit Volumus eciam ne aliquis Judex vel officialis super ipsum Alberum et suos heredes vel eum qui ei per empcionem legitimam successerit ibidem de aliquibus causis iudicans statuatur. Assignamus eciam ipsi Albero et suis heredibus seu successoribus ad ipsum Judicium duos Laneos agrorum unum molendinum sex macella carnium sex stacia panum sex stacia sutorum unam stubam balnealem piscaciones per decursus aquarum in limitibus ciuitatis venaciones necessitatem lignorum pro igne domus et edificiis in siluis et rubetis que ad ipsam ciuitatem ab antiquis pertinere dinoscuntnr. Que singula et vniuersa ab omni dacione et a jugo quolibet seruitutis possidebit libere et solute Testes huius rei sunt Jerossius purchrauius pragensis Naczeradus de Parcz Christannus miles Jerossii Jenczo de Doblin et alii quam plures In testimonium et cautelam presens instrumentum scribi et dari ipsis mandauimus Sigillorum nostrorum munimine robo-

ratum. Actum apud Burglinum Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo datum per manus magistrorum Arnoldi et Vlrici tunc Prothonotariorum nostrorum VIII. Ydus Augusti.

E confirmatione Joannis marchionis Moraviae de anno 1351. cujus originale in archivo ejusdem civitatis servatur, communicavit Prof. Šembera.

XXX.

Alexander papa confirmat literas Otakari de anno 1252. octauo Idus Junii ecclesiae sancti Hippolyti ad Znoymam circa diversas libertates datas. Datum Anagniae Kalendis Maji. 1259.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filiis Magistro et fratribus Sancti Francisci Pragensis ordinis Sancti Augustini ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentibus salutem et apostolicam benediccionem. Cum a Nobis petitur quod iustum est, et honestum tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat quod Nobilis Vir Ottokarus Dux Austrie, et Styrie, ac Marchio Morauie quasdam libertates, et exemptiones secularium exactionum, ac nonnullos redditus, et quedam alia Jura, tam hospitali vestro, quam Sancti Hippolyti in Gradicz circa Znoymam, nec non quibusdam aliis ecclesiis, ac eciam castris, villis et hominibus ad dictum hospitale spectantibus infra terminos dominii dicti nobilis existentibus sicut spectabat ad eum pia, et prouida liberalitate concessit prout in literis suis confectis exinde ac eius sigillis signatis plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus Inclinati, quod super his ab eodem nobili pie ac prouide factum est ratum, et firmum habentes id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est: In nomine Domini nostri Amen. Nos Otacharus qui et Premizl dei gracia Dux austrie, Stirie, et Marchio Morauie. Vniuersis Christi fidelibus imperpetuum. Cum inuicti Regis filius Jesus etc. usque Actum et Datum apud Znoym. Anno domini MCCLII. octauo Idus Junij. vndecime Indictionis. Vide T. III.

n. CLXXVIII. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hec attentare presumpserit Indignacionem omnipotentis Dei et B. B. Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagniae Kalendis Maij Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex originali in archivo praeposituraе s. Hippolyti ordinis Cruciferorum cum rubea stella.

XXXI.

Rudolfus, Poszoldi filius, confert jus patronatus ecclesiae OO. SS. monasterio Oslowanensi. Dto. Brunae VI. Kalendas Octobris 1260.

Vniuersis Christi fidelibus Presens scriptum visuris Rudolfus Poszoldi filius salutem in Domino. Malicia temporis et hominum exigit ac requirit gesta suorum temporum cuius incerti sunt euentus ne ab hominum alienentur memoria litteris et wlgi testimonio firmissime perennare. Ad resecandum igitur tocius ambiguitatis scrupulum, Notum sit vniuersis tam presentibus quam futuris quod ego pro honore dei et gloriose virginis matris eius et pro meorum salute carorum tam uiuorum quam mortuorum jus patronatus ecclesie omnium sanctorum cum suis attinentiis contuli conuentui Sanctimonialium in Oszla ibidem deo jugiter famulantium renunciando omni iuri et proprietati quam in ecclesia superius memorata plenius uidebar habere. Ne igitur hec donacio tam sollempniter celebrata in futurum a malignis malorum hominum suggestionibns posset inmutari, presentem litteram quia sigillo carui cum sigilli munimine ciuium in Brunna roboratam ipsis ordinaui ad cautelam. Acta sunt hec in Brunna. Anno domini. M. CC. Sexagesimo. Sexto. Kalendas Octobris. coram testibus subnotatis. Ernesto ciui. Conrado filio Wolvelinne. Wolvelone fratre eius. Lockelario. Conrado de drozendorf. Ottone plebano Sancti Jacobi fratre Wolvelino. Johanne Sacerdote. Heinrico sacerdote. Gunthero ciui. et alijs quam pluribus tam clericis quam laicis.

Originale in archivo curiae Brunensis f. O. I. n. 9.

XXXII.

Bruno, episcopus Olomucensis, fideli suo de Gileth, civi Brunensi duos laneos liberos in villa Šlapanice confert. 1262.

Bruno z Bozij milosti Olomuczky Biskup, milemu nam zgileth Miesstienimu Brnienskemu a diediczuom geho na wiecznost, Rownosti Blyzniho a rozumu spolu powolugiczy domniwame se, aby tiech kterzi se nam a kostelu nassemu, poboznij a wiernij a poslussnij vkazugj odplaczugeme sluzby skrze spoluhodne zasluh dawanij a milost samotnu to gest czoz my spatrzeny poboznosti a wiernosti twe sluzbami kterezs nam a kostelu wiernie az posawad czynil a kczynienie poslussenstwi wicze a wicze sebe nam vprzimneho a powolneho vkazugess Dawame a vwozugeme tobie wedle snessenij plneho a gednosteynosti kapitoly nassij dwa lany we wsy biskupske z Slapanicz od platu a desatku a odewssech ginych sluzeb swobodnost a prazdnost, aby ge takowau swobodau drzel a nymi wladl a kdiediczuom twym przynaležely take s takowau swobodau, wssak tak czoz y onij nam, potomkuom nassijm a kostelu nassemu k takowym bylj podanij sluzbam, yakozs ty nam czyniti zwykl poboznost a wiernost kazdeho czasu czinie. Czoz pak toto tobie y diediczuom twym skrze nas a potanky nasse a kapitolu nasij za wieczne czasy bez porusseni zachowana byla, nyniegssij lyst k wieczne te wieczy pamieti z te prziczyny se psati a peczeti nassij rozkazali sme stwrditi y my Olomuczka kapitola Bartholomieg diekan, Herbordus probosst a wssiczkni kanowniczy danij toto wdieczne a powinne drzicze a spoluswoleni nasse ktomu dawagicze gemu peczet nassij pro lepssij gistotu a swolenij swiedecztwj przziliziti sme rozkazaly. Letha MCCLXII.

E libro privilegiorum variis concessorum Ms. sec. XVI. in arch. Cremsier n. 352.

XXXIII.

Henricus de Blutaw donat fratribus ordinis Praedicatorum domus b. Michaëlis Brunae vas vini de dicimis in Brawnsdorf singulis annis percipiendum. Dto. feria V. post Dorotheae Virginis 1262.

In Nomine Domini Amen. Ego Heinricus de Blutaw notum facio Vniversis, quod intentione certa, licet corpore lanquidus, sanus tamen, mente et rationis Compos, in ultima mea Voluntate hoc statuo, et testor legitime et rationabiliter in Omne oevum observandum. Quod Religiosi et in Christo devoti fratres Ordinis Praedicatorum Sanctae Domus Beati Michaelis in Bruna, pro refectione Domestica et necessariorum Suorum, et perpetue habere debent et percipere in Usus suos Convertendum Singulis Annis de Decimis meis vinearum in Brawnsdorff, unum Vas vini Viginti Urnas Mensure ibidem jure montano solito capiens, ut pro hoc Anniversarius meus perpetuo et ecclesiastico more peragatur, in meum et meorum Salutis incrementum, non Obstante Cujuslibet hominis in contrarium actione Canonica vel civili, sub harum quas meo, Andreae nati olim fratris mei Domini Hynconis, nec non Nobilis Domini mei Domini Czenkonis de Lippa supremi Regni Bohemie Marsalci, Testium instanter Rogatorum, et de speciali indulgentia Conscientium et Consentientium, Sigillis firmari robore Litterarum feria V. post Dorothee Virginis Anno Domini MCCLXII.

E monastico MS. archivi Rayhradensis in tomo cum inscriptione „Dominikani“ pag. 10.

LXXXI.

Lupus de Nasmeritz attestatur, Ekhardum de Miroslav contulisse jus patronatus ecclesiae in Troskotowice monasterio in Oslowan. Dto. Znoymae Kalend. Decembris 1263.

Nos Lupus dictus de Nasmeritz vniuersis presentem litteram inspecturis ad rei memoriam sempiternam. Vt non possint inposterum attemptari calumpnia que in nostris geruntur temporibus eternari solent memoria litterarum. Inde est quod notum esse volumus presencium inspectoribus et

auditoribus vniuersis quod dominus Ekhardus de Mirslaus vir nobilis diuinitus inspiratus Jus patronatus in ecclesia ville de *Droscuwitz* quod a progenitoribus suis iure successionis in ipsum translatum fuit dedit Abbatisse et conuentui in *Osla* accedente dumtaxat consensu uxoris sue videlicet domine Agnetis pro remedio carorum suorum tam viuorum quam mortuorum et pro suorum peccatorum venia consequenda in presentia videlicet domini Hartlibi de Misselboritz fratris sui qui suum adhibuit consensum licet de iure patronatus dicte ville de Droscuwitz ad ipsum minime pertineret recedentes ab omni actione et iure quod in eisdem uidebantur habere. Et ne hanc donationem tam sollempniter celebratam processu temporis alicuius possit proteruitas infirmare tytulum donationis et recessus fecimus mandari litteris et sigilli nostri munimine recipere firmamentum. Datum in Znoym anno domini M. CC. LX. III. Kalend. Decembris. Coram testibus subnotatis. Domino Hermanno decano Znoymensi. Domino Karulo preposito Montis sancti ypoliti. Domino O(ttone) preposito et W. capellanis et sacerdotibus de Osla. domino Egydio Kamerario vetouiensi. Domino Hartliebo et domino Jencone fratribus de Dubna. Domino Smilone de Bilkouwe. Domino Marquardo. Domino Tassone. Domino Geroslao de Knenitz. Domino Rancyro Zudario Znoymensi. Wernhardo filio nostro. Merbotone prouinciali Znoymensi. et aliis quam pluribus tunc ibidem collectis.

(Sigill. illaesum.) Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

XXXV.

Urbanus papa IV. Otakaro, Boëmiae regi, scribens, laudat ejus fidei zelum, et hortatur ad crucem iterato sumendam, eidemque, quidquid sibi terrarum apud Ruthenos et Litvanos subjugarit, apostolica auctoritate attribuit. Dto. Viterbii, XIII. Kal. Februarii, 1264.

Urbanus episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio .. Regi Bohemiae Illustri salutem et apostolicam benedictionem. In Tui magnificentia culminis, Mater Ecclesia quam plurimum delectatur, dum intentis et devotis studiis elaboras, statum magnificare fidelium, et procurare Christianae Religionis augmentum. Hoc igitur providentia Sedis Aposto-

licae digne considerans, Tibi per suas Literas olim dicitur concessisse, ut terras, quas de manibus Lituanorum et aliorum infidelium: Si tamen Tartaris, vel alijs Christiani nominis inimicis se prout ferebatur, damnabiliter copularant, eriperes, illis dumtaxat exceptis, quae ad dilectos filios Magistrum et Frates hospitalis S. Mariae Thevtonicorum, vel ad alios Christi fideles pertinebant; ad manus tuas libere posses, ac licite retinere. Unde cum sicut asseris, signo vivificae crucis assumto, proponas in brevi, favente Divina Clementia, extento potentiae tuae brachio procedere contra illos, ac tandem in finibus locorum, quae praedictis infidelibus remanere contigerit, magnum constituere praesidium bellatorum, ad infidelium eorundem locorum populum, saltem per vexationis angustias ad caulam Domini reducendum. Nos Zelum tuae devotionis, qua circa cultum orthodoxae fidei ampliandam fervere dignosceris, tuumque pium in hac parte propositum, utpote laude dignum, multipliciter in Domino commendantes, et intendentes te prosequi favoris gratia plenioris, Regijs supplicationibus inclinati, et fratrum nostrorum Consilio, praesentium tibi auctoritate concedimus, ut si terram Letovviae de quae praedictae Sedis auctoritate Regnum extitit, constitutum, praesidente illi clarae memoriae Mindota qui post receptum baptismatis Sacramentum auctoritate Apostolica coronatus in Regem, fuit tandem a quibusdam perditionis filijs crudeliter interfectus, de manibus inimicorum, tuo ministerio eripi Domino praestante contigerit; in illa Regni solium, sicut prius, erigere libere valeas, ac illius Regimini personam fidelem et Ecclesiae Romanae devotam praeficere, prout bono statui fidelium et augmento Catholicae fidei videris utilius expedire. Nolumus tamen per hoc praedictis Magistro et Fratribus hospitalis S. Mariae Thevtonicorum quo ad terras, bona et jura spectantia ad eosdem, sive ea teneant, sive ab alijs etiam infidelibus teneantur, in aliquo praejudicium generari. Nulli ergo, etc. Datum Viterbij XIII. Kalendas Februarij Anno III.

Balbin. VIII. T. P. 16. Nro. 17.

XXXVI.

Otakarus rex Herbordo de Fullenstein dapifero Brunonis, episcopi Olomucensis, confert villas Křenowice et Štěpanowice. Datum Pragae Nonis Februarii 1265.

Ex annal. Horkyanis. cfr. Paprocky Zrcadlo p. 405.

XXXVII.

Otakarus, Boëmiae, et Stephanus, Ungariae reges promittunt mutuo pacem et concordiam observare, dantes arbitris potestatem firmandae concordiae inter ipsos. Data in insula juxta Posonium anno 1267.

Dobner Mon. II. p. 368.

XXXVIII.

Otakarus, rex Boëmiae et dux Austriae, homines monasterii Zwetlensis in Chrems et Egenburch ab omni exactione liberat. Dto. Brunae mense Novembris 1267.

O. Dei gratia Boemorum rex, Dux Austrie et Styrie ac Marchio Moravie, omnibus judicibus et Officialibus suis per Austriam constitutis gratiam suam et omne Bonum. Quum piis religiosorum precibus honor noster stabilitur, et regnum omnisque prosperitas nostra accipit incrementum, solicitudinis est, sicut esse debet, ipsorum commodis et profectibus tanto amplius intendere, quanto nos confidimus eorum orationibus efficacius adjuvari. Cum autem fratres de Zwetl et in hospitalitatis exhibitione sint promptissimi, et hominibus nostris, utpote in strata publica constitutis, frequenter per eorum finis transitum facientibus ad honorem nostrum pro suarum copia facultatum ministrare necessaria cognoscantur, hac vicissitudine eorum duximus obsequiis respondendum, ut eorum Colonos ubique in terris nostris, ab omni violentorum injuria defendamus. Ea propter universitati nostrae distincte praecipimus, nostrae gratiae pro optentu, quatenus eiisdem fratribus et hominibus ipsorum nullam exactionem imponere, nullumque

vobis de ipsis praesumatis dominium usurpare; et licet hoc in omnibus locis circa praedictos fratres et homines ipsorum volumus generaliter observari; In Chrems tamen et in Egenburch, teneri praecipimus et mandamus, ne videlicet quisquam vestrum ibidem de hominibus praedictorum fratrum advocatiam audeat sibi assumere sine nostro mandato, nisi quem ipsi fratres a nobis petiverint et optaverint nominatim, ad exactionem vero et stevras, quas ibidem Comitibus nostris imponimus, supradictorum fratrum homines per vos nullatenus cogi debent. Si vero nos aliquam summam eiisdem fratribus pro nostra et terrarum nostrarum necessitate duximus imponendam, ipsi fratres hanc a suis hominibus debebunt colligere, et per se, quibus jusserimus, assignare. Quod si ab eis predextu litterarum nostrarum, in quibus forsan ponimus, quod tam cives quam et hii, qui extra maenia fuerint, dare quod imponimus, teneantur, aliquid fuerit postulatum, quod hanc nostram gratiam minuat aut infringat, presentium autoritate liberam habeant facultatem, quod postulatum fuerit, denegare. Si qui autem eos ulterius pro aliqua exactione captivare aut res ipsorum invadere violenter praesumpserint, eos tanquam mandati nostri contemptores secundum justitiam puniemus. Si quid praeterea quaestionis in aliqua magna causa universi judices habuerint, contra ipsos in nostra decernimus presentia judicandum. Verum si ab aliquo judicum secus factum fuerit in hac parte, nostrae pro certo gratiae se offensam noverit graviter incurisse. Et ut haec singula praemissorum in suo vigore maneant inconfulsa; in signum renovationis et perpetuae firmitatis praedictorum, praefatis Abbati et conventui monasterii in Zwetl damus praesentem paginam nostrorum Sigillorum munimine roboratam, testibus qui aderant subnotatis, qui sunt Hartlibus Cammerarius Moraviae, Znato dapifer, Nezabitz (sic) pincerna, Vlricus de Durrenholz, Magister Petrus praepositus Wischegradensis Cancellarius nostri regni, et alii quam plures. Actum in Brunna anno Domini M. CC. LX. VII. et datum per manus magistri Vlrici plebani de Hartpurch. mense Novembris.

Ex autographo in archivo monasterii Zwetl.

XXXIX.

Sententia definitiva prolata in lite inter monasterium Lucense et Gesdontium plebanum de jure patronatus ecclesiae in Přimětic. Datum Olomucii XI. Decembris 1267.

Originale in archivo ejusdem monasterii.

XL.

Clemens, IV. papa, Olomucensi episcopo de exemtione fratrum sancti Joannis a theloneo et aliis scribit. Datum Viterbii XII. Kalendas Januarii. 1268.

Originale in archivo Melitensium Pragae.

XLI.

Fratres ordinis Teutonicorum resignant Smiloni de Lichtenburg jus suum in ecclesia s. Mariae circa Brodam. Dto. Dobrowic IV. Idus Septembris 1270.

Nos Frater Ludouicus, prouincialis commendator fratrum hospitalis S. Marie domus theutonicorum per Bohemiam et Morauiam; omnibus presentem paginam inspecturis, notum fieri uolumus ad rei memoriam sempiternam: quod ad instantiam et gratiam nobilis uiri felicis recordationis, D. Zmilonis dicti de Lichtenburg baronis illustris Regis Bohemie: fratrum nostrorum accedente consensu: resignauimus liberaliter omne ius, quod habuimus in ecclesia *uallis s. Marie* Pragensis dioecesis, sita *circa Brodam:* et hoc *pro fundando et edificando monasterio sanctimonialium sancti Benedicti ordinis Cisterciensis:* etiam presentibus protestantes, quod per gratiam ipsius D. Zmilonis, quosdam agros sitos in Brodensi parochia, quos iudex Wernherus, nomine piscator possidet, habuimus et recepimus illius ecclesie in restaurum. Ne igitur in posterum ab aliquibus fratribus nostri ordinis, sanctimonialibus nunc in predicto loco existentibus, aliqua questio moueatur; in huius renuntiationis et restauri receptionis efficax

argumentum, presenti pagine nostrum sigillum duximus appendendum. Testes sunt Magister Henricus, Doctor decretorum: Frater Leopoldus, Commendator de Oppauia: Frater Heluicus, commendator de Brod: Frater Chunradus, commendator de Nouadomo: Frater Gottfridus, commendator de Dobrowitz: et alii fratres in prouinciali capitulo constituti. Datum in Dobrowitz, quarto idus Semptembris.

Millauer Gesch. des deutschen Ordens Urk. n. XII. p. 118.

XLII.

Ratzlaus, burgravius Znoymensis, protestatur, Lupum de Olexowice agrum et pratum in villa Olexowice monasterio Oslowanensi obligasse. Dto. Znoymae in vigilia Marci 1272.

Nos Ratzlaus purcrauius Znoymensis omnibus hanc litteram inspecturis hiis litteris nostris protestamur quod Lubus de Olekuwicz zelo pietatis ductus XVI. Jugera agrorum et pratum quoddam suum super Iglauiam aquam uille prenotate venerabili domine Abbatisse et conuentui dominarum de Osla pro VII. marcis argenti puri morauiensis ponderis exposuit et obligauit quum tamen necessitate compulsus aliis obligasset hoc addito et adiuncto quod quidquid prefatis Abbatisse et conuentui de ipsis et prato et agris emolimenti seu utilitatis ante solucionem summe prehabite dominus tollere dederit ad turpe lucrum non debeat deputari sed in pias elemosinas pro se et suis caris tam uiuis quam defunctis et si quid lesionis et turbacionis eidem monasterio per ipsum illatum sit quod tamen ignoranter factum est dominus qui misericors peccata dimittit super hijs sibi debeat misereri. Actum Znoyme presentibus Szudayrio domino Szucecraio. Laurencio et Woluelino fratribus filiis Rancirii. Domino Sborone. Domino Rancirio. Wernhardo et Jencone filiis Lupi de Nasmericz. Domino Jeroslao de Knenitz. Merbotone prouinciali Znoymensi et aliis quam pluribus cunctis ibidem collectis. Anno domini M. CC. LXXII. in vigilia Marci.

Originale in archivo curiae Brunensis f. O. I. n. 10.

XLIII.

Hanno, magister hospitalis S. Mariae domus Teutonicorum Hierosolymitanae, villam dictam Crouls e balina Moraviae transfert ad balinam Austriae. Dto. in Hostěradic IV. Kalendas Januarii 1272.

Nouerint vniuersi presens scriptum audituri quod nos frater Anna (Hanno?) Magister hospitalis sancte marie domus Theutonicorum ierosolimitane, audita et eciam inspecta communi vtilitate ordinis nostri villam quondam dictam crouls baline Morauie adtinentem. inde transtulimus ad balinam Austrie de consilio fratrum nostrorum discretorum propter situm ville eiusdem quia multo melius adiacens est Austrie quam Morauie, ad locandum hominibus qui mansiones ibidem construant et ordini nostro deseruiant tempore oportuno, Et ut hec inuiolabiliter obseruetur, presens scriptum fecimus sigilli nostri munimine roborari, presentibus fratribus nostris. fratre Ludewico Commendatore Bohemie. et fratre Hermanno de Heldrungen. et alijs quam pluribus fide dignis et discretis. Datum et actum Hostroditz anno dominice incarnationis M. CC. LXXII. quarto Kalendas Januarij.

Originale in archivo ordinis Teutonicorum Viennae, cujus copiam communicavit Adalbertus Meinhardus Boehm.

XLIV.

Stephanus, rex Ungariae ad ordinandam pacem cum Otakaro rege eligit Elisabetham ducissam Cracoviae. Dto. in Vngaricali Broda VII. Kalend. Novembris 1273.

Nos Stephanus, dei gracia Rex Vngarie. Notum facimus vniuersis, quibus expedit, presencium per tenorem, quod in causa, quam habemus cum domino *Othakaro*, Rege Boemie Illustri, perdilecto affine, et cognato nostro, quem nobis pro patre karissimo reputamus, super facienda concordia, et ordinanda, componenda, vallanda et stabilienda pace seu concordie vnione elegimus, et assumpsimus pro parte nostra in mediatricem, arbitricem et amicabilem compositricem Serenissimam dominam Elizabeth, Ducis-

sam Cracouie, carissimam sororem nostram, eius compositioni, ordinationi, laudo, arbitrio et sentencie super ipsa pace et ceteris reformandis inter predictum dominum Regem et nos submisimus nos et consensimus, ac etiam consentimus, promittentes bona fide sine fraude pro firmo et rato habere et tenere, quidquid predicta domina inter ipsum dominum Regem et nos pro bono pacis et concordie ordinauerit, composuerit, laudauerit, sententiauerit, et fuerit arbitrata, nec recedere ab eo vllo ingenio, studio vel modo. Et ad premissa omnia et singula approbanda, percipienda, tenenda et seruanda nos presencium testimonio obligamus, quas duplici nostro sigillo, et sigillis venerabilium patrum, Vngaricalium Episcoporum, et dominorum Magistri Bertoldi etc. fecimus communiri. Datum in Vngaricali Broda, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, septimo Kalendas Nouembris, etc.

Dobner, monumenta historica T. II. p. 370.

XLV.

Otakarus, Boëmiae rex, Austriae et Styriae dux, confirmat monasterio Zwetlensi facultatem, duo talenta salis singulis annis in Danubio sine ulla muta traducendi. Dto. Viennae, in die inventionis S. Crucis. 1274.

Ottacharus Dei gratia Boemorum rex, Dux Austrie, Styrie, et Karinthie, Marchio Moravie, Dominus Carniolie, Marchio Egre ac Portus naonis. Licet regalem nostram excellentiam petitiones omnium congruas et honestas audire benigne deceat, et eas auditas benignius exaudire, illos tamen precipue tenemur suae benignitatis oculis intueri in illos potius suae pietatis dulcedinem effundere, qui hujus contemptiva seculi vanitate se divino servitio devoventes nituntur Deo in sinceritate mentis et corporis famulari. Praesentis igitur tenore privilegii valituri perpetuo ad notitiam praesentium deferri volumus, et noscat posteritas futurorum, quod nos attendentes quam pium quam honestum sit suum recognoscere creatorem et religiosorum precibus quas nobis pro ipsorum sustentatione porrigunt inclinare, considerantes, quod viri religiosi venerabilis Abbas et Conventus

monasterii de Zwetel in suis conantur actibus Domino complacere, et Spretis hujus mundi pompis solis spiritualibus adhaerere, ipsis eternae retributionis intuitu, gratiam et libertatem per nos et Ducem Fridericum recordationis inclitae quondam factam liberaliter et concessam, tenore presentium innovamus. Videlicet, ut duo talenta Salis majoris ligaminis in danubio per nostri districtus dominium circa festum assumptionis Beatae Virginis gloriosae per Linz et Stayn ducere debeant annis singulis libere sine muta. Quapropter universis judicibus mutariis et Theolenariis per austriam institutis seu instituendis inposterum, damus firmius in mandatis nostrae gratiae sub obtentu, ne quis ab eorum procuratoribus idem Sal in danubio deducentibus aliquam mutam vel Theolonium exigat vel requirat, sicut indignationis nostrae offensam voluerit evitare. presertim cum praedictum monasterium gaudere velimus suis libertatibus per omnia sicut decet et ut hujusmodi nostrae innovationis gratia perpetuam obtineat firmitatem, eidem Abbati et suo Conventui, presens instrumentum dedimus sigillorum nostrorum munimine roboratum. Datum Wienne per manum magistri Vlrici nostri prothonotarii. Anno Domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo quarto, In inventione Sancte Crucis. Testes hujus sunt. Purchardus Marschalcus Regni Boemorum, et Capitanus Anasi. Heinricus junior de Witra, Marschalcus Austrie, Leutoldus de Tyrenstain. Stephanus de Missowe. Reimbertus et Hadmarus de Schonenburch, Chunradus et Sifridus fratres de Purchperch, Heinricus Chunradus, Sibito, fratres de Potendorf, et alii quam plures.

Originale in archivo ejusdem monasterii.

XLVI.

Otakarus, Boëmiae rex, Austriae et Styriae dux, notificat castellanis in Newenburch et mutariis in Ybs et Linza, quod monasterio Zwetlensi liberam in Danubio traductionem duorum talentorum salis singulis annis concessit. Dto. Viennae, in die inventionis S. Crucis 1274.

O. Dei gratia Boemorum rex Dux Austrie, Styrie, et Karinthie Marchio Moravie, dominus Carniolie, Marchio Egre ac Portus Naonis,

dilectis suis castellanis in Newenburch eorumque Successoribus universis nec non judicibus et mutariis in Yps et in Linza, quicunque fuerint pro tempore instituti gratiam suam et omne bonum. Cum pie petentium desideriis sit feliciter annuendum, nos juxta instantiam et petitionem venerabilis Abbatis et Conventus Monasterii de Zwetel, qui divinis insistentes obsequiis Deo student in suis actibus jugiter complacere, eidem monasterio indulsimus de gratia speciali ut duo talenta salis majoris ligaminis in danubio circa festum assumptionis Beatae Virginis per nostri districtus dominium ducere debeant sine muta, quae vulgo Wazzermutte vel Purchmutt dicitur, annuatim. Damus vobis firmius in mandatis nostrae gratiae sub obtentu, quatenus eorum procuratores et nuntios in evectione dicti salis per Danubium non debeatis occasione mutae praedictae vel thelonii aliquatenus impedire, sed ipsos transire libere permittatis sicut nostram diligitis gratiam conservare, et in hujus nostrae concessionis gratiam ipsis praesentem dedimus litteram sigillorum nostrorum munimine roburatam. Datum Wiennae anno Domini M. CC. LXX. IV. In Inventione sanctae crucis. Testes hujus sunt Purchardus Marschalcus Regni Boemorum et Capitanus Anasi. Heinricus junior de Witra Marschalcus Austriae, Leutoldus de Tirenstein. Stephanus de Missowe, Reinbertus et Hadmarus de Schonenberch, Chunradus et Sifridus fratres de Purchperch. Heinricus Chunradus Sibito fratres de Potendorf et alii quam plures.

Orig. in archivo ejusdem monasterii.

XLVII.

Bruno, episcopus Olomucensis, Alexandro, servitori suo, tertiam partem molendini in Ketř (Katscher) confert. Datum Cremsirii 1275.

In nomine domini amen. Cunctorum periit memoria factorum, nisi scripture presidio et litterarum testimonio fuerint insignita. Hinc est, quod nos Bruno dei gratia episcopus Olomucensis, notum esse cupimus quam presentibus quam futuris, quod fideli nostro seruitori magistro Alexandro, respicientes sua seruitia multotiens nobis exhibita, volentesque ei aliquantulum repensare, tertiam partem de molendino nostro in Ketschir cum om-

nibus fructibus, qui exinde possunt deriuari, sibi suisque liberis contulimus libere et iure hereditario perpetuo possidendum; ita ut vendere et commutare poterit, cui placitum fuerit, excepto si in piscina uel in interioribus predicti aliqua sint nocitura, ea cum laboribus suis reficere debeat et nostris .... Et ut hec sibi a nobis et nostris successoribus firma et stabilia teneantur, propterea sibi presentem paginam contulimus sigilli nostri munimine roboratam. Actum et datum in Chremsir anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto; presentibus istis Herbordo de Fullmstein, Nicolao de Schowenburch, Hermanno Schacario et aliis multis probis.

E confirmatione Conradi, episcopi Olomucensis, ab anno 1323. datum in Ketschir VI. Idus Octobris cujus originale in archivo archiepiscopali Cremsirii servatur.

XLVIII.

Bruno, episcopus Olomucensis, donat Bertholdo judicium in villa Řepowa. Dto. in Mohelnice, in festo s. Trinitatis. 1275.

Bruno z Bozi milosti Biskup Olomuczsky Znamo czinime nynieyssim y potomkom kterjzbj vrzeli list tento že *Bertoldowi* vkazateli listu tohoto y geho diediczum prawym diedicznym obdarowali sme rychtu we wsy nassy *Rzipowie* a kni trzeti peniz czoz kte rychtie przislussi lan roli geden czely swobodny a gednu krczmu swobodnu w tez wsy listem timto Oznamugem przislusseti tak aby to prawo odmrtnym prawem od gich diediczuw swobodnie na gich diedicze spadalo dawame take gemu y diediczum geho odczyzyti a prodati mocz tu Rychtu se wssiem tim czoz kni przinalezij yakz se pisse komuz by chtiel neb mohl kdozby toliko nam neb potomkum nassim a wsy te se hodjl. Aby pak na to obdarowanij nasse giz ymenowanemu Berdoltowi y diediczum geho ziadny nepochybowal, gemu y diediczum geho pro pamiet wiecznu listownie sme sepsat kazali a peczeti nassi przziwiessenim vpewniti raczili. kdez toho wsseho swiedkowe sau Jan Ssipona Oldrzich strzelecz a z Bladonicz miesscziane nassij z Mohelnicze y gini muczy. Dan w Mohelniczy skrze Arnolda

pisarze nasseho rucze Letha Panie Tijsyczyho dwusteho sedmdesateho pateho na slawnost Trogicze swate.

E confirm. Joannis episcopi 1372. boh. vers. in libro privilegiorum variis concessorum Ms. sec. XVI. n. 352. in arch. archiep. Cremsirii.

XLIX.

Zmilo de Bilkow, tutor Chadoldi de Miroslaw, committit arbitris litem decidendam de jure patronatus ecclesiae in Troskotowice. Dto. proximo die ante octavas assumtionis B. M. V. 1275.

In nomine domini amen. Notum esse uolumus uniuersis, presens scriptum intuentibus, quod nos dominus *Zmilo de Pilgov*, vetouiensis purgrauius, et tutor Chadoldi filii quondam domini Eggehardi dicti de Mirozlaus, et ipse Chadoldus presens, auctoritate ipsius Z.(milonis) sui tutoris interueniente, et dominus Wisinto Prepositus de *Ozla*, habens super hoc mandatum Abbatisse et sui Conuentus speciale, auctoritate etiam, et consensu venerabilis patris Brunonis dei gracia Olomucensis Episcopi mediante, super causa iuris patronatus ecclesie in *Trosgwiz*, que inter nos uertebatur compromisimus, videlicet ex parte domini Zmilonis tutoris dicti Chadoldi nomine tutorio, in dominum Albertum Prepositum Olomucensem, et Cyrum Archidyaconum eiusdem ecclesie ex parte uero domini Wisintonis, prepositi de Ozla in dominum Alexium decanum Olomucensem et Johannem Romanum, Pragensis ecclesie canonicum sub hac forma scilicet ut hee quatuor persone premisse, receptis iuribus utriusque partis, quod unicuique parti competit ecclesia in predicta, et eis receptis et examinatis diligenter, habentes deum pre oculis, ei parti ius patronatus sepedicte ecclesie in Trosgwiz, ex arbitraria potestate adiudicarent, quam secundum deum crederent et scirent in iure fore potiorem, dantes nichilominus eisdem arbitratoribus seu arbitris, vel amicabilibus compositoribus potestatem, in causa iuris patronatus dicte ecclesie ordinandi, transigendi, et componendi, vel per quemcumque alium modum legitimum predictum negotium inter partes sopiendum. Et damus etiam eisdem arbitris potestatem, conpromissum seu arbitrium pecuniaria pena uallandi, vel alia quacumque pena ad

eorum ordinationem observandam. Promisimus etiam ut si in termino, ad arbitrium seu amicabilem compositionem promulgandam, quem nobis assignabunt, omnes interesse non poterunt, eorum tres vel duo idem negotium nichilominus exequantur. Et hec omnia premissa nos Z. vetouiensis purgrauius et Chad. ac W. prepositus de Ozla nostro iuramento promittimus fideliter seruaturos. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXX. V. proximo die ante octauas assumptionis beate virginis Brvnne in domo predicatorum presentibus testibus, Woizlao Scolastico Olomuncensi, et Bartholomeo, et Podizlao, et Witigone eiusdem ecclesie cannonicis, et aliis quam pluribus qui eidem negotio affuerunt.

Originale in archivo ejusdem monasterii.

L.

Joannes XXI. papa confirmat monasterio Jerocensi jus patronatus ecclesiae in Vreting (Wratėnjn). Dto. Annion III. Idus Januarii 1207.

Joannes Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati et conventui monasterii Jerocensis ordinis praemonstratensis, Dioecesis Pataviensis salutem et apostolicam benedictionem. Qum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri, ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod nobilis vir, Wichardus de Tyrna, de propria salute cogitans, ac cupiens terrena pro coelestibus salubri commercio commutare, jus patronatus Ecclesiae in Vreting Dioecesis Olomucensis tunc ad ipsum pertinens, pro suae ac parentum suorum animarum remediis uobis et Monasterio vestro in puram perpetuam elemosinam contulit et concessit intuitu pietatis venerabilis fratris nostri, Episcopi Olomucensis, Loci Dioecesani ad id accedente consensu, prout in patentibus literis inde confectis episcopi et nobilis praedictorum sigillo munitis, plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc pie ac prouide factum est, ratum et gratum habentes id auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmacionis

infringere, vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attentari praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Annion III. Idus Januarii Pontificatus nostri anno primo.

E copia simplici apud c. r. Gub. Mor.

LI.

Otakarus, rex Boëmiae, confert civitati Brod Ungaricali omnem haereditatem Borśonis de Risenburg, ipsi in poenam manifestae proditionis ereptam. Datum in Olomucz IV. Idus Januarii 1278.

Otakarus dei gracia Rex Boemie omnibus in perpetuum; Ciuitates Nostras precipue quas in confinibus terrarum nostrarum sitas multis nonnunquam contingit molestari grauaminibus et pressuris, in bono statu gubernare, atque seruare uolentes quin pocius vt eo melius sua releuare grauamina ualeant, possintque facilius molestatoribus obuiare; ipsas forciores reddere cupientes tum hereditatum ampliacione; tum easdem emolumentis alijs liberaliter augmentamus. Per presens igitur priuilegium notierit tam presens etas quam successura posteritas futurorum qnod ad hoc ut Ciuitas nostra Brod Vngaricalis que multis est solita molestijs per insultus hostium pregrauari, se possit tucius ab Inimicorum importunis impeticionibus eo melius preseruare omnes hereditates quondam Borsonis de Risemberch ex causa manifeste prodicionis quam idem Borso in Nobis commisit, ad manus nostre Curie racionabiliter et iuxta Baronum nostrorum perpensam deliberatamque sentenciam deuolutas, que ipsi adiacent Ciuitati tenore presentis Priuilegij Conferimus ac donamus graciose, a Ciuibus ipsius Ciuitatis in posterum possidendas, tenendas, atque colendas pacifice et quiete. Ita tamen quod de quolibet laneo qui in eisdem hereditatibus mensuratus fuerit, ab illis qui eosdem possederint laneos, quotquot fuerint, dimidia marcha Argenti annis singulis nobis detur; Verum tamen cum Nos eisdem Ciuibus ad aliquot annos dedimus libertatem non soluendi censum, uolumus ut de ipsis hereditatibus, quas a nunc damus eis, non debeant durantibus prefate libertatis temporibus quicquam census nomine nobis

revertetur. Et quia prefatam summam Erclinus integraliter soluere non poterat. dilectus in Christo prepositus de ozla patronus Ecclesie omnium sanctorum. partem peccunie promisit soluere. de redditibus dotis ecclesie. exsolute. recipiendas suo tempore successiue. si enim prefatum Erclinum. diem extremum claudere contigerit. predictus prepositus de ozla. pretaxatam dotem tam diu tenebit vsque quod suam peccuniam possit integraliter rehabere. Et quoniam prefatus Judeus, est certificatus de predicta summa XXX. marcarum per fideiussoriam caucionem, que sibi suis temporibus persoluetur, prefatam dotem ad Ecclesiam omnium sanctorum. confirmamus. perpetuo. In nomine patris et filii et spiritus sancti. presens scriptum sibi concedentes. nostri sigilli munimine roboratum. Datum in Modriz. Anno domini millesimo. CC. LXX. VIII. XVI. Kalendas augusti.

Ex originali cum sigillo integro in archivo curiae Brunensis f. N. XIII. n. 1.

LIII.

Rudolfus, Romanus rex, civitati Znoym jura et bona confirmat augetque, nec non concedit, ut eisdem libertatibus uti possit, quibus civitas Wienna gaudet. (Datum mense Septembri) 1278.

Dilectis fidelibus nostris ciuibus Znoymensibus, qui se ipsos et ciuitatem nostre et Romani imperii iurisdictioni tam liberaliter quam fideliter subiecerunt, regalis gracie plenitudinem plene contulimus, eosque in nostrum fauorem collegimus specialem; et ut prompta eorum deuotio aliis sit exemplum, ad sinum nostre clementie fiducialiter transeundi, nos predictis ciuibus omnes gracias, libertates et iura, seu predia vel possessiones, que vel quas a quondam O(takaro) illustre Rege Boemie, vel suis progenitoribus usque ad hec tempora tenuerunt, rata habemus et grata, easque et ea ipsis ciuibus tenore presentium confirmamus; quorum iurium, graciarum libertatum, ipsis a terre principibus indultarum. aliquas in specie duximus exprimendas. Primo videlicet eisdem ciuibus nostris annuimus, ut thelonium salis ac officium, quod Schrotampt vulgariter appellatur, pro roboratione et reparatione ciuitatis perpetuo pristino more recipiant, ipsam ciuitatem ubilibet, ubi opus fuerit, dictorum officium redditibus congrue muniendo. Item

concedimus eisdem, ut uniuersis iuribus, quibus nostra ciuitas Wiennensis gaudere dinoscitur, perfruantur. Preterea tres villas, videlicet N., quas ab antiqno possedisse dinoscuntur, ipsis possidendas perpetuo tradimus et donamus. Item promittimus, et ad hoc nos presentibus obligamus, quod predictos ciues nostros et ciuitatem ipsam nullo umquam tempore a nobis alienabimus, aut alteri committemus, sed ipsos nostro et imperii dominio volumus reseruare. In fauorem quoque ciuium predictorum statuimus, ut infra unius miliaris spatium a ciuitate predicta nulla a quoquam braxetur cereuisia, exceptis solis nobilibus, quibus pro se et sua familia ipsa braxatio indulgetur. Item eisdem ciuibus nostris hoc etiam indulgemus, ut uniuersos debitores eorum pro rebus suis ipsis traditis post lapsum solutionis terminum non solum in rebus suis, verum etiam in personis propriis valeant vsque ad solutionem creditorum congruam detinere, quomodo tamen constet, dictos creditores se ad detentionem huius modi, si in solutione deficerent, spontanee obligasse. Nos quoque, ciues nostros predictos preter has ueteres his nouis graciis, habundare volentes, per continuum quinquennium ipsos plena gaudere volumus libertate, ab omni exactione sine anguria liberatos. Volumus etiam, et eisdem concedimus, ut infra spatium unius milliaris nobis et imperio mutas seu vectigalia nulla soluant, super quibus infra predictum milliare perpetuam eis concedimus libertatem. Presenti quoque priuilegio ipsis dictam forestam siue siluam, ante ciuitatem sitam, sic ut arboribus extirpatis agri ad utilitatem publicam ipsius oppidi conuertantur, villam quoque N. ad communes usus ipsius oppidi tradimus et donamus, hac perpetua sanctione iubentes, ut ciues predicti, ex deuotionis sue primitiis merito honorandi, ab omnibus et singulis fidelibus imperii specialiter honorentur.

Gerbert cod. epist. Rudolphi I. — Bočzeks Mähren unter Rudolph dem Ersten pag. 49.

LIV.

Rudolfus, Romanorum rex, civibus in Igla confirmat antiqua iura montana ipsis a praedecessoribus suis concessa, committitque usum urburae

montium ibidem ad tres annos continuos, nec non eos in suam et imperii Romani protectionem recipit. Dto. Ywantschitz mense Septembris. 1278.

Ex vetusta consignatione privileg. Iglav.

LV.

Rudolfus, Romanus rex, confirmat et auget jura, libertates et possessiones civitatis Brunensis. (Datum mense Septembri) 1278.

Romani vires imperii pietate potius quam tyrannide dilatare volentes, illis venas clementis venie liberaliter aperimus, qui ad portum nostri refugii veniunt, gratiam petituri. Hinc est, quod nos dilectos fideles nostros, ciues Brunnenses, qui se ipsos et ipsam ciuitatem nostro potentatui humiliter subiecerunt, ad plenitudinem nostri fauoris et gratie gratiosa colligimus voluntate, eisdem ciuibus tenore presentium hinc dimissis, confirmantes omnes et singulas libertates, iura, priuilegia et consuetudines, que vel quas ex indulto quondam Otocari, illustris Regis Bohemie sine contradictione cuiuslibet tenuerunt. Ex quibus aliquas gratias ipsis factas presentibus ampliamus. Imprimis volumus ut telonium, quod ad usus ciuitatis eiusdem dictus Rex octo annis continuis, ut dicitur, deputauit, duodecim annis continuis ad usum ciuitatis pertineat, ad gratiam dicti Regis annos quatuor apponentes. Hoc etiam statuimus, ne predicti ciues, per diuersas ciuitates et loca imperii pro suis necessitatibus transeuntes, pretextu damnorum vel promissionum, a Rege Bohemie quicumque factorum, per aliquem pignorentur in facultatibus vel personis. Illam etiam gratiam, qua per terras Bohemie et Morauie sine solutione telonii hactenus transierunt, ratam perpetuo robore volumus permanere. Ceterum si predicti ciues probauerint legitimis documentis, quod due ville, Curin et Streletz, ipsis per Regem Bohemie pro marcis trecentis et quinquaginta pignori fuerint obligate, nos eidem obligationi centum quinquaginta marcas apponimus, et sic pro quingentis marcis nexu pignoris tenebuntur. Insuper aree, que ad usum ciuitatis antiquitus pertinebant, ad eiusdem ciuitatis commodum reuertantur sine preiudicio alieno. Ad hoc perpetua sanctione statuimus, ut nullus baronum seu nobilium terre infra muros ciuitatis in

rebus aut personis ciuium aliquam uiolentiam perpetrare presumat. Cordi quidem nobis est, ut quecunque immunitas vel libertas eisdem ciuibus a munificentia Regum Bohemie est collata, et integra hactenus obseruata, iure perpetuo roborata subsistat, nec cuiusquam ausu temerario ad iniuriam nostri culminis temeretur. De Judeis quoque taliter iudicamus, ut in ciuitatis oneribus, una cum ciuibus sustinendis, seruatas hactenus consuetudines non offendant.

Gerbert cod. epist. Rudolphi p. 162. — Bočzeks Mähren unter Rudolph dem Ersten p. 45.

LVI.

Rudolfus, Romanorum rex, civitatem Brunensem declarat civitatem imperii Regni Germaniae. (Datum mense Septembri) 1278.

Cum ciuitas Brunensis nostrum et imperii suaue dominium in debite deuotionis exhibitione gratuita sit amplexa, ita, quod in ceterarum ciuitatum imperii numero collocetur: sinceritatem vestram attente rogamus, quatenus dictam ciuitatem, nostris et imperii seruitiis applicatam, omni ea libertate et gracia gaudere et perfrui per vestros districtus et terminos faciatis, qua cetere ciuitates imperii de benignitate regia sunt gauise; in quo speciale nobis dilectionis et amicitie munus impenditis, et nos nichilominus vice reciproca vestris desideriis strictius obligatis.

Bodmann cod. epist. Rudolphi I. Rom. Reg. p. 104. — Bočzeks Mähren unter Rudolph dem Ersten p. 46.

LVII.

Literae, quibus civitas Iglavia Rudolpho Romanorum regi se submittit. (Datum mense Octobri) 1278.

Vobis domino nostro R(udolpho), illustri Romanorum Regi, ac Romano imperio opidum in Igla et preces nostras subiicimus, et promittimus per sacramentum, quod Vobis sponte prestitimus, quod fideles et deuoti

vestri sumus, et semper erimus, nec a vestro obsequio et subiectione pretextu, metu, occasione, vel modo aliquo diuertemus, nec ciuitatem seu opidum Igla alicui alii trademus, sed ipsum fideliter vobis seruabimus, et aduersus omnem alium hominem bona fide totisque viribus defendemus, nisi vobis placeret inposterum nobis remittere fidelitatis et homagii vobis prestiti sacramentum. Ad que omnia et singula sine dolo et omni fraude seruanda omnes nostras res et bona nostra et statum nostrum et liberorum nostrorum presentibus nostris litteris vobis voluntarie obligamus. Et si, quod Deus auertat a nobis, contrarium faceremus, ex tunc volumus rei de infidelitate et perfidia iudicari, et perpetuo esse infames, ac etiam de crimine lese Maiestatis et fracte fidei seuero iudicio nos et omnes nostros posteros condempnari. Subiicimus etiam nos sponte iurisdictioni et iudicio venerabilis patris et domini nostri Olomucensis Episcopi, qui per excommunicationis et interdicti sententias et alias censuras ecclesiasticas sine strepitu iudicii nos compellat, ut seruemus vobis et Romano imperio omnia et singula supradicta. In cuius etc.

Bodmann cod. epist. Rudolphi I. R. R. pag. 54. — Bočzeks Mähren unter Rudolph dem Ersten pag. 54.

LVIII.

Rudolphus, Romanorum rex, encyclicam scribit ad nobiles et civitates Boëmiae, ut se nunc ei ad instar Moravorum submittant. (Datum mense Octobri) 1278.

Quia de iure nobis et imperio nunc de nouo uacare cepistis, fidelitatem vestram monemus et hortamur studio, quo possumus ampliori, quatenus ad instar nobilium, baronum ac ciuitatum multarum per Morauiam vos nostre gracie studeatis submittere humiliter et deuote, considerantes attente, quanta ex indeuotione vobis poterunt suboriri discrimina, et ex fide commoda prouenire. Non enim plus rationis habundat in vobis quam in ceteris, qui se nostre clementie submiserunt. Propter quod vos nobis et sacro imperio in pura deuotione adiungite, et nos affluentibus vos graciarum muneribus attollemus. Super his vestros nuntios, qualibet auctoritate suf-

fultos, cum confidentia transmittatis, quos quidem vobis in personis et rebus intactos cum omnis securitatis munimine remittemus.

Bodmann cod. epist. Rudolphi I. Rom. Reg. pag. 103. — Bočzeks Mähren unter Rudolph dem Ersten pag. 55.

LIX.

Rudolphus, Romanorum rex, possessiones fratrum s. Joannis Hierosolymitani in Moravia sitas ab omni exactionum onere eximit, eorumque privilegia confirmat. Datum anno 1278.

Bodmann cod. epist. Rudolphi p. 118.

LX.

Rudolphus, Romanorum rex, Hungariae regi inter cetera scribit, episcopum Olomucensem cum Moraviae baronibus sibi fidelitatis homagia praestitisse. Datum anno 1278.

Gerbert cod. epist. Rudolphi I.

LXI.

Rudolphus, Romanorum rex, damna a militibus suis monasterio Oslowanensi illata resarcit. Actum in Oslowan IV. Kalendas Octobris. 1278.

Copia sec. XIV. in archivo monasterii Aulae Reginae Brunnensis.

LXII.

Otto, marchio Brandenburgensis, tutor regis Wenceslai, restituit Heinmanno de Lichtemburg bona et jura patri suo Smiloni, ut asserit, ab Otakaro injuste ablata et detenta, cum juribus civitatem Teuto-Brodam concernentibus. Datum Coloniae, VII. Idus Decembris. 1278.

Nos Otto dei gracia. Marchio Brandenburgensis. Tutor domini Wenzezlai Illustris principis Regni Roemie generalis. Scire volumus

vniuersos ad quos peruenerit presens scriptum. quod nos dilecto fideli nostro. Heinmanno. dicto de Luchtenburch. ob deuocionis et fidei sue merita. nostre bone voluntatis accedente consensu. de munienda ciuitate sua in Brod. et de deposicione ibidem omnium rerum uendibilium. dictam Ciuitatem transire contingencium. nec non et de vniuersis bonis suis, et iuribus quibus quondam dominum Zmilonem, patrem ipsius dictus H. priuatum asserit per Serenissimum dominum Otakarum. Illustrem quondam Regem Boemie karissimum auunculum nostrum recolende memorie. qualibet sine causa. et contra iusticiam, per quinque annos presentes. quibus nobis tutelam domini Wenzezlai. Illustris Regni Boemie Principis karissimi fratris nostri et Regni ipsius Regimen assumpsimus, fauere uolumus graciose. Ita tamen, quod prefatus H. nos sufficienter et legitimis instruat documentis, quod vniuersa et singula bona et eciam iura. de quibus mencio superius est habita. et de quibus sepedictus H. se pretextu presentis intromiserit instrumenti, ad prefatum Z. ipsius patrem. et ad ipsum iure pertinuerint. et pertinere debeant. et quod ipse Z. per prefati Regis. O. potenciam. eisdem sine causa et contra iusticiam sit priuatus. In cuius rei euidenciam clariorem presentes conscribi fecimus litteras et sigilli nostri munimine iussimus communiri. Datum Colonie anno domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo Octauo Septimo Idus Decembris.

Ex originali in archivo civitatis Teuto-Brodae.

LXIII.

Heinmannus de Lichtemburg civibus Teuto-Brodensibus jura et libertates a patruo suo et fratribus suis concessas confirmat eaque ampliat. 1278—1290.

Nouerint vniuersi tam presentes quam posteri quibus hec littera fuerit recitata quod nos Heinmannus dictus de Leuchtenburch et nostri heredes scilicet Jeschcu et Heinco viris honorabilibus et fide dignis nostris ciuibus in Broda thevtonicali promisimus et promittimus fide data omni dolo relecto omnes libertates firmiter obseruare, quas noster patruus Remundus et fratres nostri Wenzezlaus et Scencho dicti. de Leuchtenburch pro cir-

cumdacione muri ciuitatis predictis ciuibus tribuerunt. Preterea promittimus quod ipsam ciuitatem vna cum ciuibus in ea manentibus in omnibus iuribus suis priuilegiis conscriptis uolumus permanere. Item uolumus ut nullus famulorum nostrorum contra uelle predictorum ciuium in iam dicta ciuitate habeat mansionem. Amplius promittimus. si aliquis famulorum nostrorum furtum uel spolium ad prefatam ciuitatem duxerit. et cum eo occupatus fuerit. quod ille iudicio ibidem compareat secundum iura ipsorum ciuium responsurus. Eciam damus pro iure. si aliquis famulus noster in ciuitate sepius prenotata aliquos excessus fecerit. uel facere presumpserit, quod talis si fideiussoria cautione caruerit debeat detineri et iure ipsorum ciuium iudicari. Item dedimus quicunque hominum ad sepedictam ciuitatem uenerit, quod ille potencialiter non debet duci extra ipsam, sed quicunque contra ipsam quitquam agere habuerit illi ipse respondere debet coram iudice ciuitatis. Eciam damus quod si aliqui homines nostrorum seruitorum residentes in episcopatu, uel in abbatia uel in prepositura fuerint. illi pro quacunque causa possunt occupari coram dicte ciuitatis iudice responsuri. Item dedimus promittentes nostris ciuibus fidelibus et honestis quod nullus nostrum qui sumus domini predicte ciuitatis aliquam debet facere violentiam ipsis ciuibus sed quidquid contra aliquem ipsorum agere habuerint hoc cum iudice coram iuratis in ipsa ciuitate debet fieri secundum iusticie complementum. Insuper damus ipsis quod omnia iura que habet predicta ciuitas et non sunt scripta dummodo sciant scilicet noster patruus Remundus dictus de Leuchtenburch et domina de Zlebu et iurati ceterique ciues Brodenses illa nunquam ipsis uolumus violare. Vt hec omnia prenotata que promisimus fide data et sine omni fraude in hac littera predictis ciuibus nobis fidelibus et dilectis maneant integra et inviolata robur habendo et augmentum presentem cartam apposicione sigillorum scilicet nostri Heumanni dicti de Leuchtenburch et patrui nostri Remundi nec non sororii nostri fratris Jesconis commendatoris de rippein dedimus roboratam. (s. d.)

Ex originali in archivo civitatis Teuto-Brodae.

LXIV.

Rudolphus, Romanorum rex, resarcit damna monasterio Lucensi a milite suo (mense Septembri) illata. Actum apud Znoym III. Nonas Januarii 1279.

E copia vidimata anni 1667, cujus originale in archivo Lucensi servabatur.

LXV.

Chunegundis, regina Bohemiae et domina terrae Oppaviae, confirmat privilegia civitatis Freudenthal. Datum in castro Gradec Kalendis Novembris. 1279.

Copia in archivo archiepiscop. Olomuc.

LXVI.

Theodericus canonicus Olomucensis (postea episcopus) gravi ereptus morbo ecclesiae Olomucensi et monialibus ad S. Petrum duas marcas proventus in pago Seniczka assignat. 1280.

Ziegelbauer. Olomuc. sacrum MS.

LXVII.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, confirmat fundationem fratrum Minorum Znoymae, regulasque eorum instituit et indulgentias elargitur. Datum Modrici. XVII. Septembris 1281.

E consign. privil. civitat. Znoymae, in cujus archivo originale servabatur.

LXVIII.

Theodericus, episcopus Olomucensis, fratribus minoribus concedit facultatem in sua dioecesi verbum dei praedicandi et confessiones audiendi. Data in Modřice. XV. Kalendas Octobris. 1281.

Th. Dei gratia Olomucensis Episcopus vniuersis Christi fidelibus per nostram dyocesim constitutis salutem in omnium saluatore. Quoniam vt ait sapiens. Judicium grauissimum fiet in hijs qui presunt, quod non tantum pro se ipsis, verum eciam pro sibi subditis coram summo iudice reddituri sunt rationem, verum cum plantatus in agro ecclesie fratrum minorum ordo sic a suis primordiis gratia operante diuina laudabilibus incrementis successiue profecerit quod assidue proferens flores copiosioris honestatis et producens uberius fructus vite inter alia plantaria dominica puritate conuersacionis, scientie dono et virtutis merito dinoscitur specialiter insignitus, vnde nos in ipso agrocultores licet immeriti a domino deputati, dilectos in Christo eiusdem ordinis fratres tamquam bonos et fideles cooperatores et subportatores honoris nostri qui nobis ex cura incumbit animarum, quos in auxilium nostrum dominus misit et sedes apostolica deputauit, grandi fauore prosequi proponimus et promocionem ipsorum iugi diligentius studio procurare. Sane cum pro ydoneitate ordinis supradicti ipsis fratribus Minoribus auctoritate sedis apostolice sit indultum verbum dei proponere et confessiones libere audire ac penitentias iniungere salutares, nos ex tali commissione lucrum animarum attendentes prouenire maxime cum pluribus irretiti negocijs omnibus talibus sufficere personaliter non possimus, uniuersitatem vestram in domino duximus attencius exortandam, quatenus ad fratres predictos tamquam Ad peritos et salubres medicos animarum pro consilijs et confessionibus frequentius accedatis recepturi ab eis uestrorum medelam peccatorum, presertim cum ipsis in premissis per totam nostram dyocesim plenam qua ex officio nostro fungimur commiserimus potestatem. Si qui eciam deuocionis accensi gracia uoluerint possint a sepedictis fratribus dominici Corporis percipere sacramentum eo saluo quod in pascha pro communione corporis Domini se suis plebanis humiliter representent, Sed ne ex huius nostre commissionis officio inter

fratres et clerum materia turbacionis oriatur, volumus, ut fratres tali predicent hora scilicet mane quando populus in parochia ad summam missam possit commode conuenire, nec aliquis plebanus in tali predicatione fratres audeat impedire, quod si aliquis ausu temerario eos qui ad predicacionem ipsam conuenerint, excommunicare presumpserit, eandem excommunicationem irritam facimus, et inanem eciam in sanctis festiuitatibus predicent quando eis videbitur expedire, nec hoc presumat aliquis plebanorum in aliquem euentum impedire. Quidam insuper plebani et eorum vicarii prout intelleximus et dolemus cum ad infirmos procurandos veniunt et ipsos fratribus confessos cognouerint eisdem denegant ecclesiastica sacramenta. Nos igitur uolentes huiusmodi malignitatibus obuiare, in virtute obediencie districte precipimus si plebanis vel eorum vicarijs de talium infirmorum confessione constiterit, siue per ipsos fratres, siue per alios, eis absque omni contradictione exhibeant postulata sacramenta, quod si aliqui huius nostri statuti immemores uel eciam contemptores, infirmis postulata negauerint, ex tunc volumus ut a fratribus procurentur. hoc idem dicimus de sanis qui ducti deuotione fratribus per circulnm anni confitentur, tales tamen plebani siue vicarij qui nostrum contempserint preceptum canonicam non effugient vlcionem. Preterea authoritate presencium districte inhibemus ne quisquam premissis que a nobis sunt concessa audeat pertinaciter contraire; quicumque vero id presumpserit attemptare contumax ab omnibus habeatur, contra quem eciam taliter procedemus, quod pena condigna ipsum pro sua temeritate feriet, quo alij eius exemplo perterriti a presumpcione simili frenabuntur. De omnipotentis autem Dei gracia et Beati Wencezlai martyris auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis qui ad eorumdem fratrum predicacionem humiliter uenerint XL. dies de iniuncta eis penitentia misericorditer relaxamus. Data in Modrichz Anno MCCLXXXI. XV. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno Primo.

Ex originali in archivo civitatis Znoymensis.

LXIX.

Martinus, papa IV., episcopo Olomucensi mandat, ut alienata a monasterio Daubrawnjk bona revocare studeat. Dto. apud Urbem veterem XV. Kalend. Maji. 1282.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei. venerabili fratri .. episcopo Olomucensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilectarum in Christo filiarum .. Abbatisse et conuentus monasterii sancte Crucis in Dobranig ordinis sancti Augustini, tue diocesis, precibus inclinati, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus ea, que de bonis ipsius monasterii alienata inueneris illicite vel distracta, ad ius et proprietatem eiusdem legitime reuocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante, compelles veritati testimonium perhibere. Datum apud Vrbem veterem XV. Kalend. Maii; Pontificatus nostri anno secundo.

Ex originali in archivo curiae Brunensis f. O. II. n. 7.

LXX.

Martinus, papa IV., moniales in Daubrawnjk in protectionem sedis apostolicae suscipit. Datum apud Urbem veterem XV. Kalendas Maji. 1282.

Martinus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus .. Abbatisse et Conuentui monasterij sancte Crucis in Dobranig ordinis sancti Augustini Olomucensis diocesis Salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia deuotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consueuit, et ne prauorum hominum molestijs agitentur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine confouere. Eapropter dilecte in Christo filie uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas uestras et monasterium in quo diuino estis obsequio mancipate cum omnibus bonis que impresentiarum

rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis prestante domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem decimas, terras, domos, vineas, villas, possessiones, et alia bona uestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, uobis et per uos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Salua in predictis decimis moderatione concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Vrbemueterem XV. Kalendas Maij. pontificatus nostri Anno Secundo.

Originale in curia Brunensi f. O. II. n. 6.

LXXI.

Indulgentiae a nonnullis archiepiscopis et episcopis ecclesiae fratrum praedicatorum Olomucii concessae. Dto. apud Urbem veterem VI. Kal. Martii. 1284.

Uniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Nos Dei gratia Reynaldus Messanensis, Wilhelmus Corinthiensis, Petrus Arbonensis archiepiscopi, Acerus Uexoniensis, Bartholomeus Gagetanus, Henricus Saxoniensis, Symon Papiensis, Petrus Ciuitatensis, Fridolus Ouetensis, Robertus Rossensis, Bernardus Humanas, Vincentius Portugalensis, Ptolomeus Sardinensis, Thorsinus Hamerensis, Petrus Cluensis, Andreas Asloensis episcopi, salutem in domino. Licet is de cuius munere uenit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter seruiatur, de habundantia pietatis sue merita supplicum excedens et uota, bene seruientibus multo maiora tribuat, quam ualeant promereri. Desiderantes tamen reddere domino populum acceptabilem fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam allectiuis muneribus indulgentiis uidelicet et remissionibus inuitamus, ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia *fratrum ordinis predicatorum in Olmoz* ciuitatis Olmoczensis congruis honoribus frequentetur, omnibus uere penitentibus et confessis, qui ad ipsam ecclesiam

in festis subscriptis uidelicet in die et in anniuersario dedicationis ipsius ecclesie, in festis sancte et indiuidue trinitatis, perpetue virginis Marie, Michaelis Archangeli, Johannis baptiste, apostolorum Petri et Pauli, Petri martyris, beatorum confessorum Augustini, Nycholai et Dominici, Marie Magdalene, Katerine virginis, patroni ipsius ecclesie, et per octauas omnium sollempnitatum predictarum causa deuotionis accesserint, uel manum porrexerint adiutricem, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi singuli singulas quadragenas annis singulis de iniuncta sibi penitentia, dummodo consensus et uoluntas dyocesani accesserit, misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium presentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum anno domini Millesimo ducentesimo octogesimo quarto, sexto Kalendas Martii; in die Sabbati apud urbem ueterem, pontificatus domini Martini pape quarti anno quarto.

Ex originali ejusdem monasterii.

LXXII.

Indulgentiae a nonnullis archiepiscopis et episcopis ecclesiae monasterii Welehradensis concessae. Dto. apud Urbem veterem VI. Kalend. Martii. 1284.

Vniuersis Cristi fidelibus presentes litteras, inspecturis Nos dei gracia, Raynaldus Messanensis, Petrus Arbonensis archiepiscopi, Bartholomeus Gaitanus, Acerus Vexioniensis, Benehardus Brandeburgensis, Henricus saxionensis, Fridolus Ouetensis. Symon Papiensis, Ptolomeus Sardinensis, Vincentius Portugalensis, Bernardus Humanas, Robertus Rosensis. Thorfinus Hamerensis, Vbertus Clugiensis, Andreas Asloensis, Episcopi, Salutem in domino. Licet is, de cuius munere uenit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter seruiatur, de habundantia pietatis sue, merita supplicum excedens et uota, bene seruientibus multo maiora tribuat, quam ualeant promereri. Desiderantes tamen reddere domino populum acceptabilem fideles Christi ad complacentum ei, quasi quibusdam allectiuis muneribus, indulgentiis uidelicet et remissionibus inuitamus, ut exinde reddantur

diuine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut Ecclesia fratrum ordinis Cysterciensis in *Welgrad*, Olmocensis dyocesis, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus, et confessis, qui ad ipsam ecclesiam in festis subscriptis, videlicet in die et in anniuersario dedicationis ipsius, in omnibus festis perpetue virginis Marie, in festo beati Bernardi confessoris, et per octauas omnium sollempnitatum predictarum causa deuotionis accesserint, uel manum porrexerint adiutricem, Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum, eius auctoritate confisi singuli singulas quadragenas, annis singulis de iniuncta sibi penitentia, dummodo consensus et voluntas dyocesani accesserit, misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium presentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Datum apud urbem ueterem, anno domini Millesimo, ducentesimo, octogesimo quarto, sexto kalendas Martii in die Sabati. Pontificatus domini Martini pape quarti anno quarto.

Ex originali ejusdem monasterii, cui quindecim sigilla maxima ex parte laesa appendent.

LXXIII.

Literae homagii nonnullorum nobilium regni Bohemiae Wenceslao regi Bohemiae et marchioni Moraviae. Dto. Pragae IX. Kal. Junii 1284.

Nos Hogerus de Lomnicz, summus Regni Boemie Cancellarius, Hroznata de Husicz, Purgrauius Pragensis, Zawissius de Falkenstein, Witgo de Grumnow, subcamerarius regni Boemie, Henricus de Rosemberg, Ulricus de noua domo, Zescma de Seras, Hermannus de Duba dapifer, Jaroslaus de Sterenberg pincerna, et purgrauius in Wetow, Hinco de Luchenburch, Albertus de Seberch, Mutina de Kostenmbat, Andreas de Cancihehor, Poto de Missen, Wilhelmus de Miliczin, Potho de Potenstein, Zoberherdus de Luticz, Holenus de Wildenstein, et uniuersi et singuli fratres, amici et cognati nostri, sine omni dolo et captione atque malo ingenio veraciter promittimus domino *Wenceslao, domino et heredi regni Boemie et marchionatus Morauie*, fidelitatem et homagium, et eum pro domino rege nostro habebimus, et habere semper volumus efficaciter,

fideliter et deuote, sibique parebimus et seruiemus in omnibus sicut regi et nostro domino naturali. Promittimus quoque bona fide pacem atque concordiam cum Burchardo de Winterberch, Zbislao de Triebun, Sdislao de Lewenberch, Zesema de Krassow, Tobia de Bechin, Benessio de Wartenberg, Bohuslao de Clingenberch, et uniuersis et singulis fratribus, amicis et cognatis eorum, et cum ceteris hominibus et habitatoribus regni Boemie inuiolabiliter perpetuo conseruare. Quod si forte nos vel aliquis ex nobis fidelitatem meram, deuotionem sinceram et obedientiam perfectam dicto domino nostro Wenceslao, et pacem et concordiam non seruauerimus; tunc uolumus periuri, exleges et infames ab omnibus reputari, nec non excommunicationi dominorum pape, Moguntini Thobie, et Theodorici Pragensis, et Olomucensis Episcoporum, quam iam pro promulgata et lata habere volumus, ex tunc prout nunc perpetuo subiacere, et proscripti esse imperii et dicti domini Wenceslai, et quod bona nostra omnia, tam stabilia quam mobilia, vel cuiuscunque ex nobis, qui predicta non seruauerit inuiolabiliter, sint ipso facto adiudicata domino Wenceslao, et in eum et suos heredes omne ius, dominium et potestas, quod vel quam habemus in eis, transferantur, exclusis et exheredatis nostris filiis et heredibus vel successoribus quibuscunque; et quod deinceps nunquam ab ipso domino Wenceslao vel heredibus eius eadem bona, si nos vel aliquis ex nobis prefatas fidelitatem et obedientiam, pacem et concordiam, prout dictum est, non seruauerimus, repetemus per nos aut interpositam personam aliqua ratione seu causa, nec restitui dicti domini Wenceslai gracie, vel ut nobis et cuicunque ex nobis, qui predictas fidelitatem, obedientiam, et pacem, et concordiam non seruauerit, ut est dictum, largiatur, veniam curabimus, nec eundem dominum Wenceslaum rogabimus seu procurabimus, quod rogetur, imo eum, quicunque predicta, prout dictum est, conseruauerit, impugnabimus, totis nostris viribus, et studebimus prosequi velut hostem et generalis pacis atque concordie turbatorem; renuntiantes tenore presentis scripti voluntate spontanea tam uniuersaliter quam singulariter omni iuri et exceptioni, quod vel quam possemus opponere de iure vel de facto aliqua ratione seu causa, nec non et omni indulgentie vel rescripto papali seu imperiali, que vel quod per nos aut aliquem nostrum impetraretur vel obtineretur, ut non teneremur, vel teneri deberemus ad obseruationem om-

nium vel cuiuslibet predictorum, vel quod a predictarum penarum absoluti vinculo redderemur. Hanc autem nostram promissionem, quantum ad dictas penas spectat, vel spectare potest, a festo pentecostes primo venturo usque per quatuor annorum spatium per completum inuiolabiliter iungere volumus firmitate. Transactis autem dictis quatuor annis ab eiusdem promissionis ligamine esse volumus absoluti, liberi et immunes; nichilominus tamen fidelitatem meram, deuotionem et obedientiam perfectam dicto domino Wenceslao tenebimus et exhibebimus, et pacem et concordiam cum prenominatis et ceteris hominibus regni Boemie seruabimus perpetuo, sicut superius denotatur. In cuius rei testimonium et robur firmiter valiturum presentes fieri, et sigillis nostris fecimus communiri. Actum et datum Prage anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, nono Kalendas Junii duodecime indictionis.

E codice privil. regni Boëm. f. 500. T. II.

LXXIV.

Wenceslaus, rex Bohemiae, confirmat ordini fratrum S. Joannis privilegium patris sui Otakari de anno 1272. Dto. Pragae pridie Kalend. Julii 1284.

Wenceslaus, dei gracia dominus et heres regni Boemie et marchionatus Morauie. Vt supplicum votis, que causa honesta peperit, et de quibus exauditis nobis fructus precipue perpetuus acquiritur, annuamus, non solum equitas postulat, sed ratio persuadet. Nouerint igitur vniuersi tam presentis etatis homines quam future, quod vir prouidus et honestus, frater Chunradus, commendator domus *Hospitalis S. Marie ad pedem pontis Prage*, nobis quoddam priuilegium, qnod dominus Ottacarus, Inclytus rex Boemie, pater noster eidem concesserat domui atque fratribus eiusdem hospitalis per Boemiam constitutis super quibusdam immunitatibus presentauit, petens suppliciter, ut idem priuilegium renouari faceremus, et contenta in ipso dignaremur in eterne remunerationis premium confirmare. Erat autem priuilegium ipsum non abrasum, non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua sui parte viciatum, sed in prima figura sui consistens, et

continentia ejus talis: *(In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Othagarus etc. Dat. 1272. XIV. Kal. Febr. Vide T. IV. n. LVIII.)* Nos autem predicti fratris Chunradi desiderio atque precibus ad equitatis instantiam et rationis persuasionem benignius annuentes, dictum priuilegium in hanc paginam transscribi de uerbo ad uerbum fecimus, et ea, que continentur in ipso, rata et grata habentes, presentis tenore priuilegii confirmamus, volumusque, ut ea maneant sequuturis perpetuo temporibus inconcussa. In cuius rei testimonium et robur firmiter ualiturum presens priuilegium fieri, et sigillis nostris fecimus communiri. Datum Prage per manus magistri Velezlai, Pragensis et Wissegradensis canonici, prothonotarii Regni nostri. Anno dominice incarnationis MCCLXXXIV. pridie Kalendas Julii. XII. Indictione.

E copia vidimata in archivo Melitensium Pragae.

LXXV.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, confirmat indulgentias a pluribus episcopis monasterio Welehradensi concessas aliasque addit. Dto. apud Wischow VIII. Idus Novembris. 1284.

Theodericus dei gratia Episcopus Olomucensis Ecclesie vniuersis christi fidelibus salutem in domino sempiternam. Cum omnia religiosorum virorum loca precipue tamen illorum quos Romana speciali fauore prosequitur ecclesia teneamur affectu gratie prosequi specialis attendentes, quod venerabiles in Christo fratres Curie Romane sectatores Episcopi cum ecclesia et Monasterio *Welegradensi* curauerunt indulgenciarum nostro accedente consensu grata misericorditer beneficia dispensare, nos eciam predictum Monasterium et ecclesiam in honore beatissime dei genitricis Marie gloriose virginis dedicatam sincero prosequentes affectu, maxime vt ad visitandam eandem ecclesiam deuotionis causa in honore predicte genitricis dei et aliorum patronorum eiusdem ecclesie deuocio fidelium feruencius accendatur, prenotatis episcoporum indulgenciis, que in eorum litteris continentur, pium et gratum prebentes assensum easque auctoritate ordinaria confirmantes, omnibus vere penitentibus et confessis qui in sollempnitatibus

eiusdem sanctissime Regine celorum ac aliorum patronorum necnon in die dedicationis, causa deuotionis, eandem accesserint ecclesiam, vel suas eidem elemosinas errogare curauerint, quadraginta dies de iniuncta eis penitentia in domino misericorditer de omnipotentis dei misericordia et eiusdem gloriosissime matris eius et omnium sanctorum confisi patrocinio relaxamus. Datum aput Wischow. Anno domini M. CC. LXXX quarto. Octauo ydus Nouembris. Indiccione XIII.

Ex originali cum sigillo appenso in archivo ejusdem monasterii.

LXXVI.

Wenceslai regis laudum inter Th. episcopum Olomucensem et Fridericum juniorem de Schonenburc. Datum anno 1285.

In Zdenkonis de Trebecz libro a missionibus regum MS. e codice MS. regiomontano n. 60. descr. Palacký.

LXXVII.

Wolfgerus carnifex, civis Znoymensis, Johanni plebano s. Nicolai ibidem quatuor lapides sepi in censum pro tribus marcis argenti vendit. Datum Nonas Junii 1285.

Notum sit omnibus hanc literam inspecturis tam presentibus quam futuris. Quod ego Wolfgerus carnifex civis Znoymensis de consensu heredum meorum vendidi domino Johanni plebano sancti Nicolai eiusdem ciuitatis quatuor lapides sepi pro III. marca puri argenti michi ad manus persoluta super duas macellas meas quas sibi coram magistro carnificum Hertwico de Horn ab hoc perpetuo obligaui, ut de eisdem macellis ad quemcumque deuenerint, uel a me qualitercumque alienata fuerint semper ipse de illis recipiet censum suum quem sibi uel cui ipse dederit uel legauerit, in festo sancti Michaelis constituo singulis annis perpetuo persoluendum. Et vt hec vendicio rata permaneat atque firma sigillo ciuitatis sigillari hanc litteram procuraui. Acta sunt hec anno domini M. CC. LXXXV.

Nonas Junij, presentibus istis, quorum nomina subscribuntur, Conrado dicto Murcerio, iudice ciuitatis, Cunrado de Vitis, Vlrico de Myrzlaus, Peregrino, Henrico Czechenmaister, Conrado de Yglauia, Palmaro, Vlrico de Wirscha, Rasslao, iuratis — Fridrico quondam iudice, Hermanno institore Rapotone, Conrado fratribus carnificibus et aliis quam pluribus.

Ex apographo saec. XVII. in bibliotheca ecclesiae s. Nicolai Znoymae.

LXXVIII.

Fragmentum chartae unionis et tractatus Wenceslai Bohemiae regis cum Nicolao, duce Opaviensi. Datum anno 1286.

Bodmann cod. epist. Rudolphi I. p. 281. — cfr. codicis regiomontani No. 65 pro Museo Bohemico descripti.

LXXIX.

Indulgentiae a pluribus episcopis ecclesiae cathedrali Olomucensi elargiuntur. Dto. Romae VI. Kal. Maji 1286.

Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, Reynaldus miseratione diuina messanensis archiepiscopus. Waldebrunus auellonensis et glauinicensis. Henricus saxenas. Thomas ytinerensis. Benedictus bisatiensis. Egidius turtyburensis. Petrus wibergensis. Perronus larinensis. Bernardus uizentinus. Romanus crohensis. Leo chalamonensis. Romanus alifanus. Leotherius uerulanus. et Bartholomeus ameliensis episcopi salutem in domino. Licet is de cuius munere uenit, ut sibi a suis fidelibus digne ac laudabiliter seruiatur, de habundancia pietatis sue merita supplicum excedens, et uota, bene seruientibus multo maiora tribuat quam ualeant promereri. desiderantes tamen reddere domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam allectiuis muneribus, indulgentiis uidelicet et remissionibus inuitamus, ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia cathedralis *Olomucensis* congruis honoribus frequentetur, omnibus uere penitentibus et confessis

qui ad ipsam ecclesiam in festis subscriptis, uidelicet in natiuitate Chrysti. in cena domini. in die parasceues. in festis resurrectionis. et ascensionis domini. in aduentu spiritus sancti paracliti. in anniuersario die dedicationis ecclesie predicte. in sollempnitatibus assumptionis. natiuitatis. purificationis. et annuntiationis gloriose uirginis Marie. in festo beati Wencezlai martyris, eiusdem ecclesie patroni. in primis quoque uesperis. ac per octauas eiusdem festi. atque in translatione ipsius martyris. in inuentione et exaltatione sancte crucis. in festo beati Johannis baptiste. beati Johannis euangeliste. Petri et Pauli apostolorum. beati Cristini martyris. beatorum Augustini. Martini. et Nicolai pontificum. atque beatarum Katerine. et Cordule uirginum causa deuotionis accesse(rint). Nos de dei omnipotentis misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, singuli singulas quadragenas de iniunctis eis penitentiis, dummodo loci dyocesanus consenserit misericorditer in domino relaxamus. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum Rome apud sanctum Petrum anno domini. millesimo. ducentesimo. octuagesimo. sexto. VI. Kalendas Maii. Pontificatus domini Honorii. pape. quarti. anno primo.

Über den angehängten Siegeln eines jeden der Bischöfe sind die Unterschriften derselben, und zwar in folgender Ordnung:

Theodrici Olomucensis. episcopi; Reinaldus. messanensis archiepiscopus; Waldebrunus auellonensis; Henricus saxenas; Frater. thomas Itinerensis ..; Benedictus. bisaciensis episcopus ...; Egidius turtiburensis ..; petrus Wibergensis; Perronus Larinensis.; Bernardus vizentinus; Romanus Crohensis.; .Leo calamonensis; .Romanus alifanus; Leotherius verulanensis; Bartholomeus ameliensis.

Von den ursprünglichen 15 Siegeln fehlen 4.

Ex originali in archivo capituli Olomuc.

LXXX.

Gerhardus de Obřan et conjux ejus Jutta de Velsperg vendunt praedium suum in Ebenfurdt Cunrado de Potendorf. Datum in die S. Petronillae. 1286.

Dipl. R. R. Rudolphi Ms. in bibliotheca Vindobonensi.

LXXXI.

Wenceslaus rex — confert bona omnia in Jagesd (?) prope Olomuc M. Henrico capellano et medico suo jure haereditario. Datum anno 1287.

In Zdenkonis de Trebecz libro a missionibus regum Ms. n. 107. transscripsit Palacký.

LXXXII.

Wenceslaus rex — confert M. Henrico, plebano in Grecz ejusque successoribus, plebanis ibidem, notariam monetae in Opavia; liberatque villas ejus ecclesiae Morawa et Sidelperch in Opavia et Wachinow in Olomucensi provincia ab exactionibus. Datum in Clingenberch anno 1287.

In Zdenkonis de Trebecz libro a missionibus regum Ms. n. 125. transscripsit Palacký.

LXXXIII.

Wenceslaus rex — Quirino decano et ecclesiae Olomucensi donat bona sita in .... juxta Olomuc ad formandam praebendam novam, quae Magistro Henrico physico et capellano ejus cedat. Datum anno 1287.

E cod. regiomontano transscr. in Museo Bohemico.

LXXXIV.

Theodericus, episcopus Olomucensis, ratihabet compositionem litis inter monasteria Zabrdowicense et S. Mariae Brunae super villa Diwak versae. Dto. IV. Kalend. Junii 1287.

In Christi nomine amen. Nos Theodericus dei gratia Olomucensis episcopus notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod cum lis et causa et questio inter religiosos viros Theodericum abbatem Zaberdowicensem et eius conuentum ordinis premonstratensis ex vna parte, et

sororem Katharinam priorissam et conuentum celle sancte Marie in Brunna ordinis predicatorum nostre dyocesis ex altera, super villa, que dicitur *Diwax*, et coram diuersis iudicibus utraque pars fuisset grauata multis laboribus, sumptibus et expensis lite nondum finita, volentes ambe partes ad concordiam peruenire et uitare dampna plurima et expensas, pro bono pacis et quietis quia non decet seruos dei litigare. talem concordiam composicionem et transactionem de assensu eciam et uoluntate nostra fecerunt, videlicet quod dicte priorissa cum suo conuentu eidem abbati et conuentui pro se et suis successoribus in perpetuum dederunt et tradiderunt medietatem pomerii, quod habent prope ciuitatem Brunensem iuxta fluuium qui dicitur Swarczauia, et situm circa uiam publicam inter molendinum Sibotonis, et molendinum Lutoldi ciuium de Bruna, quod fuit quondam Swellarij, quod possident pro indiuiso cum Ecclesia et Canonicis de Chremsyr. ad habendum et tenendum possidendum et quidquid sibi et suis successoribus deinceps placuerit perpetuo faciendum, cum introitu et exitu suo et omni iure vsu sev requisicione quod haberet in ipso pomerio cum accessibus et egressibus suis usque in viam publicam. Cuius possessionem corporalem apprehendendi et accipiendi auctoritate propria eisdem plenam et liberam licenciam contulerunt promittentes eidem abbati et conuentui pro se et suis successoribus de dicto Pomerio vel eius parte uel usu uel iure ipsius eisdem questionem uel litem ulterius non inferre non inferenti consentire. Econtra dicti abbas et conuentus eisdem priorisse et conuentui dederunt cesserunt et transtulerunt omne ius et actionem personalem vel realem spiritualem uel corporalem quod habebant vel habere poterant in dicta villa que dicitnr Diwax. renunciantes expresse liti et litteris quibuscumque impetratis et impetrandis et promittentes eandem Priorisse et Sororibus litem uel questionem super dicta villa uel aliqua parte eius uel iure ipsius non inferre nec inferrenti consentire que omnia et singula promiserunt inuicem vna pars alteri firma et rata habere et tenere et non contra facere uel uenire aliqua racione vel causa de iure uel de facto et non petere beneficium restitucionis in integrum nec dicere se deceptam nec litteras aliquas de cetero inpetrare contra predicta uel aliquod predictorum sub pena argenti centum marcarum puri, que tociens comitatur et exigi possit, quociens contra factum fuerit in aliquo predictorum et refectione damphorum

et expensarum litis et extra et obligacione bonorum utriusque partis et pena soluta uel non predicta omnia et singula firma perdurent. Insuper frater Gotschalcus sindicus et procurator predictorum abbatis et conuentus pro ipso abbate et conuentu et frater Gotfridus sindicus et procurator dictarum priorisse et conuentus pro ipsa priorissa et conuentu de uoluntate et mandato ipsorum corporaliter iurauerunt tactis sacrosanctis ewangeliis in animas constituencium predicta omnia et singula firma et rata habere et tenere et non contra facere, uel uenire aliqua racione vel causa de iure uel de facto. Preterea ad maiorem horum omnium firmitatem dominus Jordanus abbas montis Syon qui alio nomine dicitur Strahouia pater abbas dicti monasterii Zaberdowicensis pro parte ipsius et frater Welizlaus prior fratrum predicatorum Olomucensium vicarius prioris prouincialis prouincie Poloniensis ipso prouinciali extra prouinciam existente predictis omnibus consenserunt. Nos eciam de voluntate parcium in scriptis presentibus excommunicamus omnes et singulos qui contra composicionem concessionem et transactionem fecerint uel uenerint in aliquo contra predicta uel aliquid predictorum. Actum et datum presentibus probis viris, videlicet. Domino Friderico, archidiacono Olomucensi, domino Bohuschone de Boshwicz, domino Thazzone dapifero Morauie, domino Gerharto de Obersecz, domino Lupo de Plautsch, domino Laurencio fratre eius de Mertincz militibus Morauie, presentibus eciam domino Lypino abbate de Welhrat, domino Symone abbate de Wysawicz, et domino Wisencone preposito de Ozla, fratre vl et Theoderico de ordine predicatorum. Luthero, Wernhardo mercatore, Prostymiro, Lutoldo, Ditwino, Ditlino, Perngero, Heinrico mulsacco, Anshelmo, Vlrico de Ozenis, Hemungo, Heinrico marito medlinne. ciuibus Brunensibus. Anno domini M. CC. LXXX. VII. Quarto Kalendas Junij.

Ex orig. in archivo monasterii Soc. Jesu Brunae.

LXXXV.

Zdeslaua, filia Stephani de Pernstein, recognoscit, se rectori ecclesiae in Bystřice ad tempora vitae concessisse proventus villae Sdenice. Datum in Bystřice VI. Idus Augusti 1287.

Copia sec. XIV. in archivo curiae Bystřic.

LXXXVI.

Theodoricus, episcopus Olomucensis, ecclesiae Wissehradensi indulgentias confert. Datum anno 1288.

Hammerschmidt. 455.

LXXXVII.

Wenczlaus Dei gracia rex Bohemie et Marchio Moravie confert fratri Didoldo commendatori principali per Bohemiam et Moraviam, ordinis cruciferorum domus theutonice, intuitu servitiorum ejus sibimet exhibitorum, litteras, in quibus absolvit omnes homines dominii cruciferorum Nouosedlicz ab omni jurisdictione regia et provinciali, dat eis potestatem, patibulum erigendi, omnes excessus puniendi, porro prohibet, ne quis officialium in dicto foro Nouosedlicz in Moravia sito, de rebus venalibus aliquem questum vel denarios exigant, scilicet: ratione officii, quod Lowche dicitur vulgariter, et eximit hos cruciferos ab omni solutione, si quam domum in civitate Brunensi emerint, et si que eidem donata fuerit. Si autem milites hujus ordinis a quopiam in judicium vocarentur, a nemine alio nisi a rege uel ab eo cui ille commiserit, imposterum dijudicentur. (Sine testibus.) 1288.

Originale in archivo Freudenthalensi.

LXXXVIII.

Wenceslaus rex Bohemiae et Marchio Moraviae decernit litem ecclesiae Wissehradensis ratione villae Hodkowicz. Datum Pragae pridie Nonas Martii. 1288.

Hammerschmidt. 230.

LXXXIX.

Smilo et Ulricus, filii quondam Smilonis de Luchtemburg, recognoscunt, se villas Opocznice et Bolicii a monasterio Wilemow ad dies vitae suae suscepisse. Actum in Wylamow XVI. Julii. 1288.

Dobner Mon. VI. p. 389.

XC.

Theodoricus de Kněžic donat fratri Henrico praeposito de Kněžic, professo Siloënsi, jus patronatus ecclesiarum in Abdove et Morawan (juxta Brunnam) dioecesis Olomucensis. Datum anno 1289.

Originale in archivo monasterii Siloënsis. Vide arcana status Siloënsis.

XCI.

Gerardus de Obřan una cum conjuge sua Judith de Welzpurk confert monasterio Sarensi tertiam partem proventuum de vineis suis in Pawlowice, Pauzdran, Zagečj, Načeratic et Jaroslawic. Datum dominica ante Sanctum Martinum 1289.

My Herald z Obrzan y naymileyssy Zena Panj Gitka z Welzpurku teygmi Pissmy osweczugem y wssem wiedietj dawamj ze pro Spasenj dussy nassich, y take Przedkuow nassych nassemu Zalozenj Klassteru swate Maryj w Zdaru Zakona Cystercenskeho wssych nassych Winic aczktere mame a miely bychom Potom, a nebo bychom gesste splodilj, y splodimj, w Pawlowicich, w Puzdrzanech, w Zageczim, w Nasseraczich, w Syawslawicich (Jaroslawicich) wsseczy Uzitky tych Winic, gakysme drziwe gmenowaly, o desatku na oprawu tych hor wina czoz by knam przislussylo, a nebo gakzkolew przisslo, trzeti Stranu, nebo Czastku toho wina, nasse ustanownje Kostel swrchu gmenowany ma kazde leto užiwatj, a brati bez wsseho Przekazenj, buduczich nassich y dietj, aby nasse nadanj gim Bratrzim drziw gmenowaneho Klasstera bylo wieczne, stale y twrde, aby toho nassi diediczowe russyti nemohly, nasse Lystj gym da-

wamj, nassemy Peczetmj potwrzene, genz gsu dany w Crumlowe, Swedky wezpod gmenowany Pana Boczka z Bowissowicz (Gewišowic), Pana Kunu Bratra geho, Woyslawa Purkrabie nasseho z Crumlowa, Bertholda z Tykwicze, obecneho nssseho Pysarze. Fararze kraginj Brodske, a ginich nassich wiernich, Letha Boziho narozenj tisicz dwiesteho osumdesateho dewateho, w Nedieli przed Swatim Martinem. Amen, amen, amen. Pane Boze pomoz mnie. ita scriptum est in libro hoc. Kssaft urozeneho Pana Geralta z Obrzan y take Pana z Cunstatu Wnuka Urozeneho Pana Boczka hrabiete z Perneka a Pana z Cunstatu, y geho Panj Gitky Manzelky geho, na desatky winicz y Prawa tech hor w pawlowicich w puzdrzanech a ginich wssech, gakozto w lystu Psano stogj.

Steinbach II. p. 39. e copia vidimata in archivo ejusdem monasterii.

XCII.

Nicolaus IV. papa literas Innocentii IV. confirmat, quibus moniales de Cella S. Mariae Brunae magistro praedicatorum subesse teneantur. Dto. Romae VI. Idus Decembris 1289.

Nicolaus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis .. magistro et prieribus ordinis fratrum predicatorum Salutem et apostolicam benedictionem. Tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Innocentij pontificis IIII. predecessoris nostri de ipsius Regesto sumptum, ut de ipso certitudo habeatur in posterum ad uestre supplicationis instanciam de uerbo ad uerbum presentibus fecimus annotari qui talis est. Innocentius episcopus seruus seruorum dei, Dilectis filijs .. magistro et prioribus ordinis fratrum predicatorum Salutem et apostolicam benedictionem. Licet olim quibusdam uestrum per nostras litteras formas dissimiles continentes quedam monialium monasteria duxerimus committenda, cupientes tamen ipsarum utilitatibus sic uestro ministerio prouideri, ne cursus predicationis, quam ex iniuncto uobis officio deligentius exercetis, animarum curandis langoribus fructuosus, occursu occupationum multiplicium ualeat retardari, presentium auctoritate statuimus, ut dicte moniales uel alie siquas uobis decetero sub quacumque forma committi contigerit apostolice sedis indulgentia concessa

uel concedenda in posterum non obstante, nisi expressam fecerint de presentibus mentionem. hoc solum a uobis commissionis nostre beneficio consequantur, uidelicet ut ipse sub magisterio et doctrina uestra et eorum qui pro tempore fuerint debeant permanere. illis gaudentes priuilegiis, que uestro ordini sunt concessa, uel in posterum concedentur, et contraria constitutione ipsius ordinis non obstante animarum suarum sollicitudinem gerentes et curam, ac eis de constitutionibus uestri ordinis que ipsis competunt exhibentes, eisdem monasteriis, per uos uel per alios fratres uestros quos ad hoc ydoneos uideritis quotiens expedierit uisitationis officium impendere studeatis, corrigendo et reformando ibidem tam in Capite quam in membris que correctionis seu reformationis officio noueritis indigere, Instituatis nichilominus, et destituatis, mutetis, et ordinetis, prout secundum deum uideritis expedire. Electio tamen Priorisse libere pertineat ad Conuentum, Confessiones earum audiatis, et ministretis eis ecclesiastica sacramenta. Et ne pro eo quod in eisdem monasteriis fratres uestri ordinis residere continue non tenentur, pro defectu sacerdotis possit periculum imminere ad confessiones earum in necessitatis articulo audiendas, et ministranda sacramenta predicta, deputetis aliquos discretos et prouidos Capellanos. Quocirca discretioni uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, omnia premissa iuxta constitutionis huiusmodi tenorem, cum eas uestro incorporari ordini non uelimus, curetis diligenter et sollicite adimplere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre Constitutionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni II. Nonas Aprilis Pontificatus nostri anno Tertio. Datum Rome apud sanctam Mariam maiorem VI. Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex originali cum sigillo avulso in archivo S. J. Brunae.

XCIII.

Johannes, abbas Třebičensis, emit a Syfrido, commendatore militiae Templi unum et alterum laneum, et curiam in Swatoslaw. Datum anno 1290.

Urkunde im Trebitscher städt. Archive.

XCIV.

Agnes filia Boczkonis (de Kunstat) monasterio Sarensi confert alteram medietatem villae de Křižanow. Datum Brunnae XI. Kalendas Decembris. 1290.

